



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

Lib: V. De Sacramentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

dictum est, irritas esse si per simoniam fiant, ideoque beneficia retineri non posse, sed vna cum fructibus relinquenda esse. Quod verò attinet ad alias res sacras permanentes distinguendum est: Vtrum in iis quidquam spirituale est, tanquam principale se habeat, an verò tanquam accessorium ad prius membrum pertinere videatur, vasa, vestes sacrae, quæ si carius vendantur propter spiritualem consecrationem excessus precii restitui quidem debet, sed contractus validus est, quia vtile per inutile non debet vitari. Ad alterum membrum pertinent reliquiæ, quæ si vendantur ratione spiritualitatis, contractus irritus est, ideoque restituto precio etiam restituendæ videntur reliquiæ, tanquam datæ sub conditione acquirendi precii. Sed hæc sufficiunt, adeoque finem imponimus huic libro de materia Religionis, ex animo optantes, vt omnia ad Dei optimi gloriam cedant, Amen.

LIBER QVINTVS.

TRACTATVS I.

De Sacramentis in communi.

C A P. I.

De notione nominis Sacramenti.

INter varias sacramenti, à sacro deriuati, acceptiones (pro mysterio siue re arcana, Sap. 2. Pro- uerb. 20. Matth. 13. Ephes. 1. 1. Corinth. 13. pro signo rei latentis, siue sacrae Daniel. 2. Apocalip. 17. Ephes.

Ephes. 5.) ea ad propositum nostrum spectat, pro
sacro signo & ceremonia qua homo Deo sacatur
seu initiatur.

C A P. II.

De definitione sacramenti.

Sacramentum est signum visibile, inuisibilis gra-
tiae ad populum Dei sanctificandum, diuinitus
institutum: Vnde hic excluditur omnia sacramen-
talia, prima tonsura, aqua benedicta & variae con-
secrationes, quippe quae instituta non sunt ad sancti-
ficandam hominis perfectam sanctitatem seu iu-
sticiam.

NB. Sacramenta Veteris Testamenti non fue-
runt proprie sacramenta, quia per se ac directe ad
Dei supremam excellentiam contestandam, non ad
homines sanctificandos instituta fuerunt.

Ad rationem sacramenti pertinet, ut habilem in-
stitutionem ac usum habeat, vnde linguae igneae Io-
han. 20. & insufflatio Christi in Apostolos, licet si-
gna fuerint gratiae inuisibilis ad hominis sanctifica-
tionem, tamen proprie sacramenta censei non
debent.

C A P. III.

De discrimine sacramentorum.

Sacramenta nouae legis non tantum gratiae signifi-
catiua, quemadmodum Veteris Testamenti; sed
etiam operatiua sunt gratiae idque ex vi institutio-
nis suae, in quo à veteribus sacramentis differunt.

Post lapsum hominis instituere oportebat sacra-
menta, non ante lapsum quia ante lapsum non indi-
gebat homo iis, quatenus medicina sunt aduersus pec-
pec-

peccatum à quo liber fuit; neq; quatenus ad animam maiorem perfectionem ordinantur: Quandoquidem Deo ritè subiectus facili animi motu ipsi vniui possit, & sic internam perfectionem augere. Post lapsum verò oportebat institui sacramenta, id est, visibilia signa, quibus homo fidem suam protestaretur in Christum saluatorem venturum. Talia erant Circumcisio, agnus Paschalis, consecratio sacerdotū & lustrationes quaedam ab immunditiis legalibus atque expiationes à peccatis externis.

3 Pro paruulorum sanctificatione etiam ante circumcisionem, aliquod à Deo remedium institutum erat, qualecunque tandem fuerit.

4 Post legem etiam circumcisionis credibile est, certam aliquam ceremoniam fuisse pro femellis, & masculis ante circumcisionem morituris, his enim omnibus ad delendum peccatum originale remedium aliquod adhiberi oportebat, quod quale fuerit, licet scriptum non sit, tamen credibile est, fuisse signum externum.

NB. Quod circumcisio à Deo instituta fuerit, principaliter quidem vt filii Abraham, populus ab eo electus hac expressione protestatione in Christum venturum congregaretur, & à reliquis populis discerneretur, secundario vero, vt esset in remedium peccati originalis, praesertim paruulis.

5 Circumcisio non conferebat gratiā sanctificationem ex opere operato sicut sacramenta nouae legis ex opere operato (id est hoc ipso quod opus secundū Christi institutionē peractū est, absq; vlla dependentia ex merito, aut pia dispositione seu conferētis, seu suscipientis, modò tamē is sacramenti secundū propriā cuiusq; naturā capax sit, nullūq; obicē ponat, gratiā sanctis

sanctificantē conferūt; sed sacramenta veteris legis, nec paruulos, nec adultos ita sanctificabāt spiritualiter, quāuis enim in eorū susceptione gratia sanctificans conferri poterat: tamen in circumcisione v. c. non conferebatur gratia virtute circumcisionis, siue ex vi operis; sed ex virtute fidei in Christum saluatorem, adeoque vt aiunt ex opere operantis, videlicet suscipientis sacramentum si adultus esset; qui propriam fidem & bonæ voluntatis actualem dispositionem seu contritionem affectu possit, vel alterius seu ministrantis, seu offerentis si paruulus esset, qui cum fidem & bonam voluntatem propriam non haberet, eius voluntas secundum benignam Dei acceptationem censebatur pia voluntas eius, cui curam paruuli suscipiebat cum Deo in fide Christi offerens.

Valde probabile est, quod sacramenta nouæ legis ad hominis sanctificationē concurrant, non vt causæ physicae, sed tātum morales, quia ex voluntate & institutione Christi Deiq: patris acceptatione sacrorū signorum seu sacramentorum exhibitioni infallibiliter annexa est gratia sanctificans per Christi merita conferenda.

Concludo hisce, quod sacramentum genericè sumptum sit sacra & stabilis ceremonia diuinitus instituta ad homines aliquo modo sanctificantes, & spiritualem gratiam significandam. Differentia autem inter vetera & abolita ac nouæ legis sacramenta in eo consistit, quod illa gratiam seu animæ sanctitatem figurabant & significabant tantum, hæc autem non tantum significant, sed etiam operantur quamobrem sunt signa gratiæ practica seu operatiua.

*De materia & forma sacramentorum
nouae legis.*

- 1 **I**N sacramentis nouae legis non tantum sensibilis materia, sed etiam verborum forma requiritur: Ratio, Nam licet pleraeque res sensibiles, tanquam symbola assumi & institui possint ad aliquid sanctificandum, tamen eorum significatio obscura plerisque incognita ac perinde imperfecta esse solet, nisi per verba declaretur ac determinetur.
- 2 In sacramentis plerumque duplex materia requiritur, remota & propinqua: Remota dicitur res illa, quae in sacramentum assumitur, seu circa quam actus aut caeremonia sacra exercetur, ut aqua, oleum. Propinqua ipse actus seu usus rei illius sensibilis, puta ablutio, unctio.
- NB. Quod verba etiam praeter materiam ad Sacramentum requirantur: Probat, Quia sacramenta nouae legis claram gratiae significationem habere debent: hanc autem consequuntur per verba quippe quae proprie instituta sunt ad ignota explicanda.
- 3 Sacramenta illa, quae in usu seu actione transiente consistunt, re & verbis, veluti materia ac forma essentialiter componuntur. Probat, cum sacramenta ista, Baptismus & confirmatio rem successiuam habeant, ideo eorum partes, ex quibus moraliter constituuntur aut componuntur successionem quoque seu transitum habere debent. Talia autem sunt sensibilis materiae applicatio, & verborum formae prolatio, Tanta autem debet esse coniunctio inter materiam & formam sacramenti, v. c. inter aquae

affusionem & verborum prononciationem vt
 spectata natura cuiusque sacramenti secundum mo-
 ralem hominum æstimationem, forma verborum
 habitudinem determinationis retineat ad materi-
 am seu symbolum subiectum. Porro sacramenta
 que in esse permanente consistunt, v. c. Eucharistia,
 non possunt propriè componi ex materia & forma
 verborum, quia verba successiva & transeuntia
 sunt: nullum autem permanens ex partibus succes-
 sive essentialiter constitui potest.

Mutatio materiæ & formæ sacramenti alia est 4
 substantialis, alia accidentalis: substantialis muta-
 tio materiæ censeri debet, quando tanta est, vt se-
 cundum communem vsum & æstimationem homi-
 num differat ratione & appellatione à materia,
 quam Christus præscripsit & Ecclesia vsurpat. Sunt
 enim sacramenta signa moralia, ideo incognoscentia
 eorum materia potius ad moralem eius vsum &
 conceptionem, quam physicam plerisque ignotam
 attendere oportet v. c. massa farinacea nondum pi-
 ta, non est sacramenti materia, quia non est panis
 & cibus humanus; siue differat à pane formâ physi-
 câ, siue non. Accidentaliter autem mutatio mate-
 riæ censeri debet, si nihilominus materia eundem
 moralem vsum & æstimationem retineat, licet ali-
 qua qualitas desit, quæ ex præcepti necessitate re-
 quiritur, puta si aqua turbida sit, panis ater, im-
 mundus.

Formæ mutatio verò substantialis censeri debet,
 per quam alius orationis sensus efficitur. Cùm se-
 ntentia verbi essentia & quasi anima sit sensus ac signi-
 ficatio; ideo si verba ponantur aliam significatio-
 nem habentia, non eadem sed alia verborum forma

ooo signis

significatur. Accidentaliter verò mutatio formae est, 1. si verba materialiter tantum mutantur, quia alia eundem sensum habentia usurpantur, v. c. si pro baptizo dicatur abluo. 2. Si vox vna vel plures mutantur aut omitantur, quæ non pertinent ad substantiam formæ, vt si in forma baptismi omitatur pronome Ego vel in forma Eucharistiæ Enim, cuiusmodi minorum mutationem, si sine scandalo & contemptu fiat, veniale ait Coninck ob materiæ leuitatē. 3. Si minister ob præcipationem aut balbutiem linguæ omitat vel mutet verborum literas, præsertim extremas v. c. Ego te baptizo in nomine Patri: Dico postremas literas, quia primæ syllabæ mutatio plerumq; audientibus alienum sensum adfert, formamque vitiat v. c. Ego te baptizo in nomine matris.

NB. Ego te baptizo in nomine patriæ & filia & spiritu sancta, valet forma hæc, quia quamuis hæc verba ita corrupta nihil significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus.

5 Error priuatus ministrorum non obstat valori sacramenti, v. c. græcorum baptizantium hac forma: baptizetur seruus Christi, licet errantes arbitrentur, talem ritum verborum, quo persona ministri non exprimitur ad sacramenti necessitatem spectare) modo veram materiam & formam adhibeant, cum intentione saltem implicite faciendi, quod Christus instituit, vel vera Ecclesia facere intendit. Ratio, Sacramentum semper conficitur si adsit materia & forma substantialis & intentio ministri saltem confusa: At verò cum eiusmodi intentione consistere potest error speculativus, eiq; interdum correspondens priuata intentio errori, malè conferendi sacramentum v. c. ministrandi baptismum per Filium patre minorem.

Cum enim hæc intentio conditionalis sit, seu ex sup-
 positione existimationis falsæ, quod hæc ipsa sit
 Christi institutio, ideo superatur ab altera confusa
 & generali intentione, quæ absoluta est faciendi,
 quod Christus instituit. Quemadmodum si quis
 querat, & omnimodè habere desideret equum su-
 um, quem amisit, etsi speculatione particulari er-
 ret, non esse equum suum, qui reuera suus est, ideo-
 que eum respuat, is tamen absolute loquendo potius
 principium habere cupit; vult enim habere equum
 suum: hic autè qui offertur equus suus est. Ergo ab-
 solute loquendo, eum habere vult, licet per accidens
 atque ex hypothesi speculativi erroris nolit. Requiri-
 tur tamen in hoc casu, vt minister actuali contraria
 intentione non excludat veritatè sacramenti, puta si gre-
 cus nolit Eucharistiã cõfici, nisi panis fermentatus sit
 de necessitate sacramenti tali casu sacramentũ irritum
 est propter defectũ intentionis. Quod si minister er-
 rorẽ suũ contra sacramenti veritatẽ in forma exprimat
 v. c. Ego te baptizo in nomine patris maioris nullũ
 efficitur sacramentũ, cũ hæc sit substantialis mutatio for-
 mæ. NB. Hæc verba: Ego te baptizo in nomine pa-
 tris per filiũ in spiritũ sancto, possunt quidẽ explicari
 vt sensum verum habeant, si tamen à ministro Arria-
 no vsurpentur, præsumitur errorem suum de inæ-
 qualitate personarum inducere, & formæ substan-
 tialis sensum corrumpere velle.
 NB. Ego te baptizo in nomine Patris & Filii &
 Spiritus, si ab hæretico exprimente spiritum sanctũ
 non esse verum Deum proferantur in collatione ba-
 ptismi, irritum est sacramentum propter defectum
 intentionis baptizandi in nomine S. S. Trinita-
 tis. Quod si tamen minister vsurpet verba ista
 secundum veram & Christi institutioni confor-

mem significationem, cum generali intentione valide confertur sacramentum, cum verba ista verum sensum habere possint.

- 6 Si minister existimet esse puerum, cum sit puella, vel esse Titium-quem ordinar, cum sit Caius, validum est sacramentum. Nam hæc ordinaria & visitata est, ac esse debet ministri intentio, ut baptizetur, ordinetur, confirmetur subiectum aut materia, quæ capax & præsens est, dum super ea forma verborum profertur, quam perinde intentionem vnusquisque habere censetur, nisi eam expresse excludat.

NB. Episcopus sacrilegium committit, si ante ordinationem dicat, se nolle excommunicatos ordinare, quia Episcopus semper censetur habere practicam & absolutam intentionem ordinandi hominem præsentem, & non conditionatam, nisi excommunicatus sis, &c. cum appositio talis conditionis conformis non est Ecclesiasticæ consuetudini.

C A P. V.

De causa efficiente sacramentorum nouæ legis.

- 1 Solus Deus primarius author & institutor est sacramentorum, quippe cum ille dicatur author sacramentorum, qui virtutem confert, quæ est sanctificatio hominis, solus autem Deus principaliter est author gratiæ sanctificantis, Christus autem quia homo duobus modis potest dici author eorum & institutor, quia eam nobis institutionem ex condigno meruit, & quia cum potestate excellentiæ promulgauit, iuxta illud Matth. vlti. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & S. sancti.*

Pote-

Potestas instituendi sacramenta authoritative vt 2
 causa primaria nulli verò homini communicari po-
 test, ministerialiter tamen quamvis non tam excel-
 lenter, vt Christo competebar, vtpote capiti Ec-
 clesie, ita vt talis potestas ratione vnionis hyposta-
 tice ipsi debita & quodammodo connaturalis sit,
 hominibus autem si conferretur, solum esset parti-
 cipata, sicut alia omnis potestas Ecclesie collata mi-
 nisterialis est & subordinata potestati Christi, cuius
 alii ministri, alii vicarii sunt.

Omnia nouæ legis sacramenta à Christo imme- 3
 diate instituta fuerunt : Ratio, quia oportebat
 Christum, antequam ex hoc mundo ad patrem mig-
 raret, perficere illud, cuius causa venerat, videlicet
 homines à peccati iugo redimere, Ecclesiamque
 fundare, nouo condito testamento : Atqui pars
 præcipua noui testamenti sunt sacrificium & septem
 sacramenta. Ergo oportebat ea à Christo ipso in
 terris existente instituere.

Solus Deus vt causa simpliciter principalis in- 4
 teriores effectus sacramentorum operatur, sed
 Christus homo, vt causa principalis meritoria, vbi
 nota, licet causa meritoria gratiæ in suo genere prin-
 cipaliter reperiatur in Christo homine simpliciter
 tamen dependentem esse à Deo, quia meritum ha-
 bet ordinem & authorem gratiæ principaliorem,
 qui est Deus ; Quare licet Christus vt homo dici
 possit author gratiæ in genere causæ meritoriae, ta-
 men in genere causæ efficientis, solus Deus est au-
 thor gratiæ.

Humanitas Christi operatur interiores sacramē 5
 torum effectus tanquam instrumentam coniun-
 ctam diuinitati : alii autem ministri secundum

Ooo 3 Christi

Christi institutionem & imperium solum exhibent
exterius ministerium & applicationem symbolorum,
quæ ex meritis gratiæ Christi sanctificantis virtutem
in se continent.

- 6 Fides aut probitas ministri non requiritur ad va-
lorem sacramenti: Probatur ex institutione Christi,
quæ per traditionem accipimus, quod sacramenta conse-
crantur & sperentur virtute diuina & Christi meritis.
- 7 Mortaliter peccat minister, si in statu peccati mor-
talis ministrat sacramentum, ad cuius ministratio-
nem ordinatus est: Ratio sumitur partim ex digni-
tate sacramenti, quod in statu mortalis conferre
vel ministrare velut sordidum Christi instrumentum,
non vacat irreuerentia, partim ex sanctitate & digni-
tate officii sacerdotalis, quod sacerdos eo fine acci-
piens gratiam ordinationis vt sacramentum fideli-
bus sancte ministrat, ratione status ac ordinis sui a-
deoq; ex proprio officio ipsi incumbit, vt tale mini-
sterium digne & decenter obeat.
- 8 Idem quoque dicendum de sacerdote baptizan-
te non solenniter in casu necessitatis; Et de Diacono,
si ex commissione sacerdotis baptizet, vel S. Eu-
charistiam porrigat in statu mortalis.
- 9 Si laicus vel alius Clericus præter sacerdotem in
casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati
mortalis, peccat venialiter, cum enim talis non ex vi
status & ordinationis suæ, sed solum per accidens
propter casum necessitatis sacramentum ministrat,
non incumbit illis tam magna obligatio ministrandi
in statu gratiæ. Quod ad contrahentes matrimoni-
um in statu peccati mortalis attinet, non peccant illi
mortaliter, tanquam ministrantes sacramentum (cum
non sint ministri ad hoc conseruati) sed solum tan-
quam suscipientes.

Pro-

Probabile est, Diaconum non peccare mortali-
ter, si in mortali in missa ministret, nisi id frequenter
& ad consuetudinem fiat, idq; propter irreuerentiã
quæ per consuetudinem magis ac magis aggrauetur.

Concionator non peccat mortaliter, si in statu
mortalis sine scandalo prædicet, quia prædicare non
est actus ordinis.

NB. Quod si sacerdos sacramentũ aliquod mini-
straturus mortalis peccati, conscius sit, alterum horũ
post agendũ incũbit, videlicet, vt vel præmissa cõfesi-
one sacramentalẽ absolutionem accipiat, vel per
internam absolutionis actum cum proposito postea
suo tempore confitendi se in Dei gratiam restituar.

Intentio (quæ est voluntas operandi quippiã) alia
est actualis. Est in eo ministro, qui cum rationis dis-
cretionem attendit ad id, quod libere agit) Alia virtua-
lis; est in eo ministro, qui nunc quidem nõ attendit,
agit tamen ex antecedente rationali attentione ac
proposito, atq; in ea dispositione est, vt iã quoq; at-
tendere possit, nisi animus ad alia distractus esset; &
alia habitualis, seu interpretatiua, est in eo, qui neq;
actualiter nec virtualiter ex proposito rationali agit,
ideoq; materialiter tantum symbola sacramentalia
applicat, nõ vt sacra sunt, puta si quis in somnis bap-
tizet hominem & talis nihil efficit; Ratio, quia actio
ministrãtis debet esse moralis, & propriè humana ac
rationalis; talis autem esse non potest actio ebrii,
cum non sit in tali dispositione, vt actus suos cum li-
bertate exercere queat. Actualis sicuti & virtualis in-
tentio, vel est explicita secundum specificam ratio-
nem, videlicet: volo baptizare, vel est implicita se-
cundũ confusam & generalem rationẽ, volo bap-
tizando facere quod in Ecclesia Christi fieri solet.

12 Ad necessitatem sacramenti requiritur formalis intentio ministri saltem implicita, si videlicet facere velit, quod vera Ecclesia solet, aut quod Christus instituit, aut quod sacerdotes Christianorum facere consueuerunt, etsi determinate nesciat, aut non credat esse sacramentum: Ratio, peti debet ex institutione Christi, quam per traditionem & S. scripturam didicimus, quod ministri à Deo constituti sint, vt scientes & volentes, ideoque rationali modo sacra mysteria fidelibus dispensent iuxta Apost. 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & fideles dispensatores mysteriorum Dei.* Hoc autem fit, si intendant v. c. ablutionem vel unctionem cum adiecta verborum forma, vt sunt sacra signa homini adhibere.

NB. Etsi minister hæreticus baptizans aut contrahens nolit effici sacramentum, si tamen hæc intentio prouenit ex priuato errore speculatio, quo veluti conditione nititur præualet intentio eius generalis faciendi quod Christus instituit.

NB. Etsi deceat habere ministrum intentionem actualem propter dignitatem sacramentorum, tamen sufficit virtualis, puta si aliquis proposito sacrificandi, vel baptizandi venit in Ecclesiam atque idcirco vestes sacras induit, ad altare vel baptisterium accessit, licet tunc & in ipsa materia applicatione distractus, perficitur tamen sacramentum. Probat, quia Christus non minorem attentionem intentionemque requisit ad sacramentorum administrationem, quã ad alia humana negotia requirit solet, at vero virtualis intentio sufficit, vt actio aliqua censeatur humano modo ac rationali fieri, quando imperata fuit ex libero actu voluntatis, eius-

iusque imperii ac motionis vi adhuc perdurat. Quæ enim ex tali proposito postea agimus licet propter humanam imbecillitatem ad alia distracti, tunc liberi & humano modo agere censemur.

Ad sacramenti valorem necessaria est intentio absoluta ideoque nihil efficitur si v.c. minister baptizet sub conditione in futurum v.c. si pater tuus consenserit. Ratio est, quia sacra symbola debent à Ministri intentione explicita vel implicita secundum Christi institutionem determinari, ut sint practica & efficacia. Talia autem non sunt, si eorum vis & efficacia suspendatur à futuro contingente effectu.

Corollarium si ministret quis sub conditione de presenti aut præterito statim valet si conditio est, non valet autem si conditio non est, v.c. Absolvo te, si capax es: Baptizo te, si non fuisti baptizatus: Ratio, quia conditio de presenti aut præterito cum extra causam posita, & non in futurum dependens sit, non suspendit intentionem, sed mox facit transire in absolutam, efficacem, sicuti: Volo tibi donatum si pater tuus vivit.

C A P. VI.

De subiecto sacramentorum eorumque effectibus.

Aliud est sacramentum; aliud res sacramenti, quemadmodum enim omnis causa ab effectu distinguitur & interdum re ipsa separatur, ita & hinc fieri potest, ut sacramenti alicuius tota essentia consistat in effectu eius, quæ est gratia sanctificans non conferatur propter impedimentum seu obicem suscipientis: Nam ad sacramenti essentiam

Ooo § non

non pertinet, vt actu gratiã conferat; sed vt sit collatiuum gratiã, sicut ad naturam ignis non pertinet calefacere, sed esse calefactiuum.

- 2 Quædam sacramenta virorum sunt, videlicet, per se instituta ad iustitiã augmentũ pro iustificatis. v. c. sacramentum Eucharistiã: Alia sunt mortuorum, ad tollenda mortalia, videlicet baptismus, pœnitentia.
- 3 Præter effectum gratiã significantis in singulis sacramentis conferuntur specialia auxilia gratiã.
- 4 Ad valorem sacramenti in adultis requiritur suscipiendi propria voluntas saltẽ interpretatiua: Ratio, quia per sacramentum homines imitantur, & consecrantur Deo, vt in eius Ecclesia & cultu stables perseuerent, ergo valdẽ congruum est, vt propriũ consensum afferant, si eius capaces sint, vt adulti. At vero paruuli & amentes, cum propriam voluntatem afferre non possint, sacramenta suscipiunt, infide & voluntate Ecclesiã ac Christi; ne si sacramentorum incapaces sint omnino pereant.
- 5 Ad consequendam iustificationem in sacramentis Baptismi & pœnitentiã, necessario requiritur in adultis pœnitentia, vel si in mortali peccato non sit, alius pius motus spei & charitatis in Deum: Ratio peti debet ex institutione diuina, congruum enim est, & decens, vt qui per peccatum propria voluntate se à Deo auertit, illud detestando aliquomodo ad Deum accedat, alioquin peccati remissionem consequi non possit.
- 6 Sacramenta æqualem gratiam omnibus conferunt suscipientibus si æqualiter dispositi sint, secus si inæqualiter. Nam congruum est ita sacramenta à Deo instituta fuisse, vt eorum sanctificandi virtus secundum maiorem præparationem dispositionem-

que

que suscipientis vberiorē gratiæ effectum producat.

C A P. VII.

De Characterē.

Characteris, seu signi spiritualis indelebilis, animæ suscipientis impressi, frequens est mentio apud antiquos Patres, de quo Apost. 2. Cor. 1. *Qui vocat nos Deus, qui & signavit & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Imprimatur vero character, vt Christo tanquam Duci aut pastori suo anima deputeretur & consecraretur.

Tria sunt sacramenta, quibus indelebilis character animæ imprimatur: Baptismus, Confirmatio, & Ordo, ideoque repeti non possunt. Nam per Baptismum signandus est homo, vt ab infidelibus separaretur, atque ad ouile Christi pertinēs: Per Confirmationem tanquam miles Christi ad pugnam deputatus: Per ordinem, tanquam deputatus minister Christi & dispensator mysteriorum Dei.

Character est qualitas spiritualis, homini in quibusdam sacramentis diuinitus indita, partim vt eius anima ornetur, ac bene disponatur secundum se; partim vt ea homo deputeretur ad alia sacramenta quædam suscipienda seu tradenda. Secundum priorē considerationem character est & permanens qualitas inhærens ac bene afficiens subiectum, pertinet ad primā speciem qualitatis, quæ est habitus & dispositio; secundum posteriorem quatenus hominē idoneū reddit character & alia sacramenta suscipienda aliisque tradenda reducit ad secundā speciem qualitatis, quæ est potentia & impotentia. Nam in primis character baptismi hominem reddit idoneum ad alia sacramenta, valide accipienda, atque vt matrimonii

monii

monii sacramentum ministrare possit, character confirmationis ad constantiam fidei ordinis, ad conficiendum & fidelibus dispensandum corpus Christi.

- 4 Effectus gratiæ in sacramentis non iterabilibus, si propter suscipientis indispositionem impeditus fuit, remoto obice, statim confertur: Ratio est, cum sacramenta characterem imprimantia constituent hominem in statu immutabili, sed dum obex gratiæ durat imperfecto & diminuto, quia character est quasi potentia passiva, quæ perfici debeat aduentu gratiæ sanctificantis, per quam demumius acquiritur ad gratias actuales homini necessarias, ideo credendum est, Deum misericorditer ita instituisse, ut recedente obice seu fictione mox effectus gratiæ sacramentalis ex opere operato conferratur.
- 5 Credibile est etiam post acceptum sacramentum extremæ unctionis, matrimonii aut Eucharistiæ nondum absumptis speciebus remoto obice gratiam conferri: Quia licet characterem non imprimant, tamen constituunt hominem aliquandiu in statu tali, quo nova sacramenti susceptione gratiam sacramentalem consequi non possit. Quare videtur ita misericorditer à Deo institutum esse, ut moraliter veluti habitu quodam perdurent ad eandem gratiam sacramenti remoto obice conferendam.

C A P. VIII.

De numero sacramentorum.

- I Septem sunt novæ legis proprie dicta sacramenta à Christo instituta iuxta Trident. Et hanc doctrinam non solum Latini omnes, sed etiam Græci & Ar-

& Armeni consentiunt. Vnde cum in hanc doctrinam latus orbis Christianus Occidens & Oriens consenserit contra eam disputare insolentissime in-
 finiz est; Præsertim cum nullum vestigium in antiquitate appareat, quoniam tempore vnum ex his sacramentis nouiter in Ecclesiam introductum & institutum fuerit; Ideo eorum origo ad prima tempora videlicet Christi institutionem & Apostolorum promulgationem ferri debet. Neque refert, quod nusquam in Patribus antiquis expressè legamus esse septem sacramenta, quia non erat ipsis propositum, sacramentorum numerum colligere, cum neque in dubium retiocaretur, sed recensebant sacramentorum modò plura modò pauciora, pro vt eorum instituto seruebar.

Frequentissima apud Patres antiquos mentio est eorum præcipuè sacramentorum, quibus homo simpliciter perficitur Deoque initiatur aut consecratur, qualia sunt Baptismus, Confirmatio, S. Eucharistia, Ordo.

Septem sacramenta congruenter à Christo pro humani generis auxilio instituta sunt. Nam homines considerantur vel vt singuli vel in ordine ad societatem. Prima consideratione homo per se loquendo tribus indiget secundum corpus vt nascatur, crescat & nutriatur: quibus spiritualiter tria sacramenta respondent, Baptismus, Confirmatio, & sacra Eucharistia. Ita secundum spiritum homo interdum incurrit infirmitatem, peccatum, cuius rei causa duo sacramenta habeamus, videlicet Pœnitentiam & extremam Vnctionem: Pœnitentiam, quæ homini sanitatem adfert: Vnctionem, quæ reliquias peccati ipsumque animi languorem affert.

affert. Altera consideratio in ordine ad commun-
tatem conficitur homo duobus modis; primo si ac-
cipiat pœnitentiam super alios & potestatem exer-
cendi actus publicos, quod fit per ordinationem, se-
cundo si propagationi humani generis & pia libe-
rum educationi inseruiat, quod fit per matrimonium.

TRACTATUS II.

De Sacramento Baptismi.

C A P. I.

De Nomine ac Definitione Baptismi.

Baptismus (quasi immersio, affusio, unde *taufen*
Chen oder tauffen) est sacramentum regenera-
tionis; per aquam in verbo. Iuxta Iohannis 3.
*Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non po-
test intrare in regnum Dei: per aquam, id est, per ablu-
tionem aquæ.*

NB. Aqua & verborum prolatio sunt veluti par-
tes materiales totius sacramenti, forma autem est sa-
cra significatio.

2 Intentio saltem implicita conferendi sacrum sym-
bolum est de necessitate sacramenti.

C A P. II.

Quo tempore Sacramentum Baptismi à Christo institutum.

Baptismi sacramentum Christus ante Passionem
instituit. Probat; Baptismum Christi discipu-
li eius administrabant ante passionem Iohan. 3. Er-
go, quia usus & administratio supponit institutio-
nem

Vnde legimus, quod plerique Iohannis testi-
monio & monitione, derelicto baptismo Iohan-
nis, accesserint ad baptisma Christi.

Apostoli ante passionem Domini baptismum à
Christo acceperunt, quia verisimile non est, Chri-
stum Apostolis dedisse Eucharistiam non baptiza-
tis, cum baptismus sit introitus ad reliqua sacramen-
ta. Et Naziaz. testatur: Ipsum Iohannem Baptistam
à Christo baptizatum, & B. Virginem à Christo.
Baptismus Iohannis erat solum præparatio ad bap-
tismum Christi, excitans fidem in Christum ac pœ-
nitentiam peccatorum.

Inter baptismum Christi & Iohannis discrimen
est, quod Iohannis baptismus non sacramentum,
sed veluti Catechismus seu dispositio ad baptismum
Christi. Deinde Iohannes non baptizavit in nomi-
ne SS. Trinitatis: Nec baptismus Iohannis sicut
Christi conferabat gratiam internam ex opere ope-
raro: Baptismus etiam Iohannis fuit insufficiens.
Vnde baptizati à Iohanne baptizari postea debe-
bant Christi baptismo. Actor, 19.

C A P. III.

De Materia Baptismi.

Materia remota sacramenti baptismi est aqua
simplex siue elementaris, iuxta Ioh. 3. idq; tum
propter convenientiam symboli internæ spiritualis
ablutionis: tum etiam, quia passim & ubiq; necessa-
rii elementi copia vix vnquã deesse potest ad sacra-
mentum baptismatis tam paruulis, quam adultis ad
salutem necessarij conferendū Vnde NB. quod aqua
rosacea, saliuæ, lachrymæ, vrina, cereuisia, iusculū nō
sunt materia baptismi, quia aqua simpliciter elemē-
taris

teris & vsualis à Christo instituta. Lixiuum est materia baptismi, eò quod transiens per cineres nihilominus naturã aquæ retineat. Accidentaliter materia, si nihilominus eundem communem vsu, & conceptionem retineat, v. c. aqua calida, pluuia, ex glacie, niue, vel si alienum liquorem in modica quantitate admixtum habeat, secus si immodica admixtio sit, vt potius alia substantia censeatur. Materia propinqua est ablutio per aquam iuxta Apost. Eph. 5. cap. Mundans lauacro aquæ: Ratio: Materia sacramenti proxima & moraliter constitutiuua est, quæ per verborum formam ac significationem determinatur. Forma autem verborum, Ego te baptizo significat & determinat non ipsam aquam secundum se, sed quatenus est in vsu seu ablutione per aquam. Glacies non resoluta non est materia cum apta non sit ad corpus continuo fluxu abluendum, nec sufficit, si vestes attingantur & aspergantur, sed corpus ipsum debet abluui. Nec sufficit gutta, sed tanta quantitas, vt eius infusione corpus hominis vel eius principalis pars abluui dicatur.

2. Infans in utero baptizari potest, si eius corpus aut caput aqua perfundatur adiecta verborum forma.

NB. Si obstetrix tam perita sit, vt manu in utero inserta prolis corpus aqua perfundere possit adiecta verborum forma, valebit baptismus. Non autem est licitum viuentem matrem aperire, vt infans baptizetur, nisi mater sit morte digna, verum tunc etiam maius periculum imminet infanti, sed casus hic vix est practicus.

3. Certum est baptismum valere, si caput, pectus vel scapula aqua abluantur, cum hæc sint præcipue partes corporis. Verum si alia pars, manus, pes abluatur,

atur, dubitatur utrum baptismus valeat. Ex-
 ma necessitate non est taliter conferendus, in
 necessitate si conferatur, remoto periculo postea
 debet sub conditione repeti idem sentiendum de
 infante pelle adhuc secundina circumdato, neque
 valet baptismus si soli capilli abluantur, quia non
 sunt propria pars corporis.

Non pertinet ad substantiam baptismi: Vtrum 4
 conferatur per asperisionem seu affusionem aquæ,
 quia ablutio instituta à Christo non solum fieri po-
 test immergendo corpus, sed etiam aspergendo, af-
 fundendo, neq; immersio vna vel trina ad substan-
 tiam baptismi requiritur, sed cuiusque Ecclesiæ con-
 suetudo seruanda est, excepto casu necessitatis.

Si minister prolem in puteum coniiciat cum ad- 5
 iuncta verborum forma, animo baptizandi pariter &
 occidendi, quamuis grauiter peccet tamen bap-
 tismus est validus. Nam sicut infans in aquam immer-
 sus post prolata formam è ministri manibus ela-
 batur, verè baptizatus est, ita etiam si ex malitia im-
 mergatur.

C A P. I V.

Forma Baptismi in Ecclesiis orientalibus est. Ego 1
 te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus
 sancti, Amen, sumitur ex Matth. 28. Baptizantes eos
 in nomine Patris, &c. Ratio institutionis est, cum
 baptismus sit primum sacramentum & introitus in
 Ecclesiam Christi, oportet in eius susceptione ex-
 pressum fidei Christianæ professionem facere per
 inuocationem Dei Vnius & Trini quippe cum hoc
 sit primum obiectum fidei Eangelicæ, nec non
 causa principaliter efficiens regenerationem spiri-
 tualem.

Ppp Ad

Ad substantiam formæ pertinet, ut tunc actus baptizandi, tunc persona baptizanda, tunc unitas trium personarum in diuinis significetur. Primum probatur ex institutione & praxi Ecclesiæ. Et forma verborum in sacramento determinare debet materiam, eiusque significationem formare, quate cum materia propinqua huius sacramenti sit actio ministri, videlicet ablutio, necesse est, hanc actionem determinari his verbis (Ego te baptizo) quod videlicet non fiat corporis refrigerandi gratia, sed ordinetur ad internam animæ abluitionem virtute solennitatis ministerialiter operandam. In forma illa græcorum: baptizetur seruus Christi in nomine Patris, implicite significatur effectum sacramenti à SS. Trinitate confecti per eam, quam ipsemet simul exercet actionem ministerialem, videlicet abluitionem: sicut si legatus aliquis aut dispensator ex voluntate Domini sui tradendi alteri equum dicat: Hic quus tibi datur auctoritate Domini mei, talibus verbis iunctis cum exteriori traditione implicite seu ipso facto significat traditionem sicut per hoc tuum ministerium. Vnde valet hæc forma: Baptizat te Christus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quia hic est sensus formæ græcicæ, & ad essentiam formæ non requiritur, ut in ea seu explicite seu implicite significetur actio, prout à persona ministri procedit, modo notetiam excludatur, quod fiet si dicas: Christus te baptizat, te absoluit, non ego, tali enim forma vitiat sacramentum. Nam cum forma sacramenti sit practica, significare debet effectum procedere tum à Deo ut causa principali, tum à ministro ut instrumentali: secunda pars assertionis probatur: quod nimirum ad substantiam formæ pertineat, ut persona baptizanda significetur.

acutus baptizatus triunitatis probatam formam veritatis materiam materiam istam, videlicet determinatam non finitur ad unitatis ministerium: baptismus implicitus conferri non potest legatus aini sui tractatur auctoritate cum extensio significat unum. Unde nomine Patris sensus foris requiritur ad unitatem non est baptismus sacramentum actica, si Deo ut causetur secundum substantiam signi-

ficetur. Quia forma verborum debet determinate significare ad eum, qui est ablutio, consequenter debet significare & exprimere patiens seu subiectum, quippe ex quo ipse actus baptizandi seu ablutio determinationem suam accipit. Deinde ideo debet altera persona baptizanda exprimi, ut appareat distinctio personarum baptizantis & baptizandi, & nemo a se ipso baptizari potest. c. debitum de baptismo. Unde discrimen apparet, quod non ita necessarium sit, ut forma directe significetur seu exprimat personam baptizans, sicut necessarium est exprimi personam, quae baptizatur. Ratio est: quia forma baptismi exprimere debet materiam propinquam, quae est ablutio. Ea autem magis determinatur a subiecto in quo recipitur quam ab agente a quo procedit. Unde si plures simul unam personam baptizant, unus baptismus, si unus plures baptizat, dicens, Ego vos baptizo, plura sunt baptismata.

NB. Non valet baptismus, in nominibus Patris, quia debet significati Unitas trium personarum in divinis.

Ad valorem sacramenti baptismus non sufficit SS. Trinitatis implicita nominatio, sed requiritur expressa. Prob. ex institutione Christi, Matth. 28. Ratio institutionis, quia cum baptismus sit sacramentum fidei & introitus in Ecclesiam Christi, oportet habere implicitam fidem trium personarum in divinis: Ergo etiam eiusdem fidei in baptismo explicita professio fieri debet.

NB. Illud axioma. Expliciti & impliciti eadem virtus est, nullum locum habet in sacramentis, quippe quae ex propria institutione signa exprimentia esse debent.

- 4 Dubiū est, an valeat baptismus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab utroque, pro affirmatiua sententia, Est ratio, quod formæ essentia consistat in significatione: verba autem illa genitor geniti, &c. non mutant significationem verborum: pro negante est, quod credibile sit Christum pro forma sacramenti, adeo necessari in quo & fidei Christianæ professio fieri debet, instituisse ac determinasse talia verba, quæ in quavis lingua ad SS. Trinitatis mysterium significandum communiter ab Ecclesia vsurpari soleat: Talia autem in Romana lingua sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus: sed cū de priori baptismo non satis constet, Baptismus collatus in tali casu sub conditione est repetendus.
- 5 Ad essentiam formæ spectat vt vocabulum *in nomine* exprimat, quia per illud significatur nō tantū virtus, sed etiam inuocatio & professio vnius Dei, quod si illud, in nomine, ad quamvis personam vsurpetur, videtur in praxi sub conditione baptismus iterandus eō quod non satis videatur exprimi vnius diuinitatis essentia v.c. Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti.
- 6 Accidentales mutationes formæ baptismi (v.c. si omittas Ego, aut transpositio fiat: Te ego baptizo: Item si persona transponatur si modica verborum interruptio fiat propter tussim, expuitionem, aut si superflua addantur, v.c. Ego Iohannes te baptizo in nomine Patris omnipotentis) administrationem illicitam reddunt. Excepto casu necessitatis. Quod si nomine B. Virginis addatur tanquam aduocatricis, illicitum id est contra Ecclesiæ consuetudinem, sed valet: Irritus est baptismus, si inuocatur nomē B. Virginis Mariæ, tanquā allatricis gratiæ.

C A P. V

De Vnitate Baptismi.

Duplex est vnitas baptismi specifica & numeri-
ca. De specifica ait Apostolus Ephes. 4. Vnus
dominus, vna fides, vnum baptisma.

Triples distingui solet baptismus, fluminis, san-
guinis & fluminis, sed duo posteriora non sunt sacra-
menta; appellantur vero baptismata propter cōue-
nientiam quam gerunt cum baptismo aquæ, at non in
ratione signi sacramentalis, licet suppleant sacramē-
tum baptismatis, quoad culpæ remissionē & spiritua-
lem renouationē. De numerica vero Vnitate baptis-
mi, quod nimirū non sit iterabilis constat ex ratione
apost. Hebr. 6. Rursum crucifigentes sibi filiū Dei.
Enim baptismus repræsentationē cōtinet mortis,
sepulture ac resurrectionis Christi. Quare sicut
Christus semel tantum mortuus est, & resurrexit,
& nobis semel tantum per baptismi sacramentū
peccatis mori, & spiritualiter resurgere concessum
est, sicuti etiam significatur ad Rom. 6.

Si dubium rationabile sit de valore collati baptis-
mi, repeteri debet sub conditione, idque locum ha-
bet, tam in dubio iuris v.c. si DD. discrepent, an va-
leat baptismus tali modo collatus: quàm facti, si ab-
solute incertum sit, vtrum fuerit collatus baptismus,
v.c. Expositis: Item si obstetrices suspectæ de ve-
ritate facti, baptizauerint, consuetudo obtinuit, vt iam
ordinariè rebaptizentur baptizati ab obstetricibus,
quia in talibus casibus non intelligitur iteratum, quod am-
bigitur esse factum. Et in dubio inclinandum est in fauo-
rem animæ, seu pars tutior præferenda.

Sufficit vnus oculatus testis & minimè suspecti affir-
matio de collato alicui baptismi. Ppp 3 Fa-

4 Facilius sub conditione reperitur baptismus in infante, quàm adulto, eò quod adultus per fidem & actum contritionis saluari possit, etiam si sacramentum baptismi non acceperit. Quod si tamen adultus v. c. sit à parentibus veneficis natus, aut à venefico parochò baptizatus clausis foribus templi potest baptizari, sub conditione secluso scandalo.

CAP. VI.

De suscipientibus baptismum.

1 **O**Mnis homo viator est capax baptismi, subiectum est de fide ex Matth. ult. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Probat, quia omnes homines ita à Deo creantur, vt capaces esse possunt spiritualis salutis ac vitæ aeternæ: salus autem & vita hominibus post Euangelii promulgationem ordinariè non contingit sine baptismo iuxta illud Christi Ioh.

3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.*

2 Vt baptismus valdè suscipiatur sufficit & requiritur aliquis consensus in adulto: Ratio, quia ad suauem Dei prouidentiam pertinet, sacramenta Christiana ita instituta fuisse, vt iis non iniçiarentur videntes ratione, nisi aliquomodo consenserint. Et sufficit virtualis consensus ante conceptus & non reatus, vt proinde etiam adultus ebrius & in somno valide baptizari possit. Etiam sufficit consensus metu extortus quocunque; Ratio, quia quod metu fit simpliciter voluntarium est. Et multum interesse, baptismum in eiusmodi hominibus validum esse, ne facile aliquis excusationem metus præterdere possit.

3 Ad valorem baptismi non requiritur fides, aut alia bona dispositio suscipientis. Sed sufficit libera

libera voluntas, quamuis habita ob peruersum finē, v. c. Lucrum temporale est certum, quia omnino conueniens fuit, sacramenta ita à Christo institui, ut eorum vsus vniuersalis atq; exploratus esset, videret quatenus moraliter possibile sciretur, vtrum homo sacramentum suscepisset nec ne; hoc autem si neq; ob ministrantis neque ob suscipientis maiestatem sacramenti valor impediatur, dummodo vniuersalique voluntas concurrat.

NB. Ad sacramenti cuiuscunque vltimatum effectum, qui est gratia sanctificans omnino requiritur bona suscipientis adiecti dispositio conueniens sanctitati sacramenti, quod suscipitur. Est certum, quia sancta sancte tractari debent. Et quidem ad baptismum fides supernaturalis tanquam fundamentum iustitiæ Christianæ; deinde pœnitentia, vt colligitur Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisq; vestrum.* Et Marci vlti. qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur.

Vt baptismus rectè & fructuosè suscipiatur, requiritur in peccatore aliqua pœnitentia saltem attritionis ex motiuo supernaturali susceptæ, sicut explicatur Tract. 6. cap. 1. n. 9. & c. 2. n. 2. Vnde nec confessio requiritur, quia baptismus & pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrim peccatorum. Sunt enim hæc sacramenta per se instituta, vt hominem iustificent, ac proinde non requirunt ante iustificatum esse. Eucharistia verò, cum sit medicina confortans, dari non debet nisi liberatis à peccato.

Quod confessio non requiratur, ad baptismum patet, quia potestas clauium non extendit se nisi ad subiectos iurisdictioni Ecclesiasticæ, & respectu

eorum actuum, quos fideles tempore subiectionis commiserint. Vnde si quis fictè id est sine fide & poenitentia baptismum suscepit, postea hanc ipsam fictionem & ea solum peccata, quæ post baptismum commisit sacramentaliter confiteri debet.

- 5 Baptismatis gratia, remoto obice, in dispositionis ex opere operato homini baptizato prouenit, idque ideo, ne fateri cogamur, eiusmodi hominiqui mala dispositione suâ suscipiendæ gratiæ baptismatis obicem posuit, nullum amplius salutis remediū suppetere, dicere debemus, antea collatum baptismū morali habitudine id operari, vt postea remoto obice consequatur effectum,

Extra casum martyrii baptismus re ipsa susceptus est simpliciter necessarius parulis ad salutem Ioh. 3. Adultis verò sufficit si in voto saltem implicite susceptus sit. Nam per actum contritionis & dilectionis Dei super omnia, in qua continetur etiam propositum seu votum saltem implicitum seruandi madata Dei, & consequenter in noua lege recipiendi sacramentum baptismatis (si eius suscipiendi copia sit, hominē adultum verè à peccatis iustificari, constat ex Act. 10. *Numquid aquam quis prohibere poterit, vt non baptizentur hi, qui S. sanctū acceperūt, sicut & nos?*

- Baptismus adultis ad salutem necessarius est, ex 7 diuini præcepti obligatione iuxta Ioh. 3.

Baptismatis sacramentum non diu differendum, sed cum primum commode potest, suscipi debet, Ratio, quia baptismus est sacramentum fidei, & introitus in Ecclesiam Christi, si quidem in baptismo fidem Christi sollemniter profiteamur, & corporè eius mystico id est, Ecclesiæ inserimur, aliorumque sacramentorum capaces efficimur: Hæc autem talia sunt, vt ex propria institutione ad totum vitæ

tempus pertineant: propositum enim erat Christo
fideles suos ad vnam visibilem Rempubl. in hac vita
congregare in vna fide sub vno capite eorundem
sacramentorum vsu, ad quam Ecclesiam seu Rem-
publ. ingressus pateat per baptismum. Ergo is re-
pugnat institutioni ac voluntati Christi, qui sine
necessitatis causa baptismum per totum vitæ cursum
ad mortem vsque differt.

Extra necessitatis casum non debet baptismus si-
ne solemnitatibus conferri, rati et si vnum aut alte-
rum mens expectandum sit v. c. dum patini ad-
ueniant, & interea si ob aduentum patini dilatio
aliqua facienda aduigilare oportebit infanti, ne ex
ingruenti aliqua infirmitate sine baptismo decedat.

Liberi inuitis infidelibus parentibus, in quorum i-
potestate sunt, validè baptizantur (eò quod sicut
non requiritur fides proximè offerentium (cum in-
fantes non baptizentur in fide ipsorum; sed totius
Ecclesie) ita nec requiritur volūtas proximè offerē-
tium ad baptismum, cum non baptizentur, secundum
voluntatē eorum (sed Christi & Ecclesie) sed non li-
cite, nisi eorum parentes vel ipsi sint mancipia Chri-
stianorum. *Facta*: Ratio, vel enim filii abstrahuntur
à parentibus in fide Christiana postea educandi, &
tunc peccatur contra iustitiam, vel abstrahuntur, &
post baptismum restituantur, sed hoc non potest
fieri sine Religionis Christiane ignominia cum Deo
per baptismum consecrati infantes, si infidelibus pa-
rentibus restituantur, manifesto periculo apostasie
exponantur. Excipe si infans sit in periculo mor-
tis, baptizari tunc potest etiam inuitis parentibus,
si scandalum absit, nam hoc casu etiam si adimatur
filius parentibus modicū tamen adimitur, quando

alioquin statim decessurus esset. Quis autem neget, ut extremae alterius spiritualem necessitatem succurratur, fas esse modicum quid domino inuito auferre. Secundò, si alter parens filium baptizari velit, altero reluctante, praefenda est voluntas iusta iniustae in fauorem prolis innocentis, sed caueri debet periculum apostasiae. Tertiò, Puer ad usum rationis peruentus potest etiam inuitis parentibus baptizari; Ratio, quia homo ratione praeditus in iis, quae ad salutem animae pertinent, sui arbitrii esse debet, in dubio autem de usu rationis quid faciendum sit, dixi lib. 1. Tract. 1. c. 5. n. 41. Quartò, Filii perpetuo amentes possunt baptizari inuitis parentibus, quia alioquin omni spiritali remedio spoliati essent.

Quod haecenus dixi de infidelibus, intelliguntur etiam de Iudaeis, quippe ut alia iura, ita etiam ius patriae potestatis in liberos retinentibus, quo sine iniuria spoliari non possunt. Capti verò iure belli praeter alia etiam ius patriae potestatis amittunt; baptizati tamen infantes captiuorum possunt interdum vel parentibus restitui infidelibus permittendo malum peruersionis eorum ob iustam causam, vel quia dominis nimis difficile accidit paruulos captiuos alere, & educare, vel quia captiuorum redemptio iure gentium introducta interdum necessaria est ad pacem & foedera seruanda, & maiora mala captiuorum etiam Christianorum cauenda.

NB. Quandoquidem infideles, aut eorum filii valide baptizantur, quamuis cum iniuria efficiuntur subditi Ecclesiae, ut proinde necesse sit eos postea ab infidelium consortio separare, ne fides domini blasphemetur. Nam sicut iniustus dolus non vitiat matrimonium, quo minus ex eo obligatio oriatur; ita quoque

quoque vitiat obligationem baptismi, quandoquidem utriusque sacramenti indissolubilis natura est in-
 ditio quæ nobis per traditionem innotuit.

Inuitis etiam parentibus hæreticis licitum est eo-
 rum liberos catholico ritu baptizare: Ratio, quia hæretici sunt subiecti iurisdictioni Ecclesiæ, à qua proinde sine iniuria compelluntur, vt paruulos suos ad baptismum catholicorum deferant: sin verò id licere recusent infantes ab eorum cura abstrahi & baptizari iure possunt, etiam retinere, si patres defera fide catholica, ad hæreticos confugiant, sed in germania non est tutum; quandoquidem hæretici nulli oblata conditione idem & ipsi de infantibus in sua ditioe existentibus facturi essent.

Si parentes hæretici ad Catholicum ministrum
 filios baptizandos deferunt, baptizari interdum pos-
 sunt, tametsi ipsis restituendi sint, eò quod pericu-
 lum peruersionis non adeo propinquum sit aut cer-
 tum vt fieri possit, vt pueri ante usum rationis mori-
 antur, & per baptismum saluentur: *Observatum enim est, tertiam partem hominum, qui in hanc lucem eduntur, arte completi septenij ætatem decedere.* Deinde hæretico-
 rum filii (non item infidelium) etsi à parentibus hæ-
 reticis falsa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili ignorari possunt, vt pertinaces hæretici non sunt, vt proinde tales donum fidei baptismatis retineant & saluari possint, si de pecca-
 tis post baptismum commissis vere doleant.

NB. Monstra si principalia membra v.c. caput, pe-
 ctus sint humana, possunt baptizari; secus si bestia-
 lem formam præ se ferant; quod si totum corpus sit
 humanum, etiamsi caput sit ferinum, baptizadus
 est, eò quod princeps animalis membrorum sit
 cor,

cor ideoque si id humanum appareat, cense-
 beat animâ rationali informatum; sed quia dubium
 est, an cor sit membrorum princeps animalis, ideo
 tale monstrum sub conditione est baptizandum, v. c.
 Si homo es, ego te baptizo Præterea si constet ex
 operationum diuersitate monstrum esse duos homi-
 nes, quia altero v. c. monstri capite dormiente, alte-
 rum vigilat, baptizari debet, distinctis verborum
 formis, & absolutionibus, quod si vero dubium sit,
 an duo sint homines, quia duo quidam capita ex-
 tant, sed vnum pectus, in periculo vnum caput ab-
 solutè est baptizandum, alterum sub conditione; si
 non es baptizatus, ego te baptizo; Extra necessita-
 tem tamen differendus est baptismus, donec certius
 aliquid cognoscatur.

C A P. VII.

De ministro Baptismi.

- 1 **Q**uiuis homo ratione præditus validè ministra-
 re potest, idque ob necessitatem sacramenti,
 & nititur assertio institutione Christi, quam Eccle-
 siæ vsus & traditio ostendit, peccat tamen, qui extra
 necessitatem baptizat, cum id iure & ex officio
 non competit, idque ob canonum prohibicio-
 nem, & ob honorem sacramenti, vt nemo nisi sa-
 cerdos solenniter baptizet in Ecclesia. Peccat et-
 iam mortaliter sacerdos alienus, si sine licentia pro-
 prii sacerdotis expressa, vel rationabiliter præsump-
 ta, solenniter baptizet: Ergo multo magis laicus.
- 2 **E**piscopis & presbyteris ex vi ordinationis com-
 petere potest ordinarium baptizandi officium, eò
 quod ex vi consecrationis suæ accipiant potestatem
 in corpus Christi verum, quia illud conficere pos-
 sunt

sunt, consequenter etiam idonei fiunt, quibus ordinaria potestas conferatur in Christi corpus mysticum: fideles colligendi per baptismum spiritualiter nascendi per verbi Dei prædicationem, à peccatis absolutionem, adeoque ipsos disponendo ad suscipiendum Eucharistiæ sacramentum. Verùm cum nascendi officium seu cura animarum proximè non proveniat ex ordinatione, sed sit potestas iurisdictionis ab Ecclesia siue Prælato collata, hinc est, quod officium prædicandi, baptizandi per se primò convenit Episcopis inferioribus vero sacerdotibus per commissionem Episcopi.

NB. Parentes graviter peccant offerentes prolem alieno parrocho sine licentia proprii ad baptizandum, quia Ecclesiæ ordinationi cum violatione iuris alieni aduersantur.

Diaconi ex commissione sacerdotis solenniter baptizari possunt, eò quod Diaconi ad hoc ordinantur, ut sint ministri sacerdotum, ergo valde convenienter committuntur illis ex rationabili causa ministeria sacerdotalia quorum ipsi capaces esse possunt, ut sunt, prædicare, baptizare, Eucharistiam populo conferre, idque ob causam extraordinariè tantum v.c. infirmitatem sacerdotis: Alii Clerici inferiores, quam diaconi minus habent de potestate baptizandi, eò quod extra necessitatem ob iustam causam possit committi baptismi administratio Diacono, non item inferioribus Clericis. In casu necessitatis extremæ vero hic ordo servandus est, ut præsentem sacerdote, Episcopo, non baptizet diaconus; Præsentem diacono non baptizet Clericus inferior, aut laicus; Præsentem Clerico non laicus; Præsentem viro non fœmina. Denique præsentem

sente

sente fidei, non hæreticus aut infidelis. Et si hic credo præuertatur, est mortale sacrilegium, inter Clericos, inter laicos verò veniale.

- 5 Minister baptismi debet esse vnus; quare si alius materiam, alius formam proferat, nihil efficitur, quod si simul plures ministri materiam & formam super vno homine baptizando absoluta intentione simul absoluant, singuli verum conficiunt sacramentum tanquam causæ totales: Ratio, quia omnes & singuli applicant omnia necessaria ad sacramentum videlicet materiam & formam, & intentionem, atque vnus actio alterius actionem non impedit, cum nullo modo inter se pugnent, quod si autem ex pluribus eandem personam baptizare volentibus contetiose vnus præueniat & prius finiat, tunc ille solus baptizabit, & alii nihil efficiet. Confirmatur ex consuetudine Ecclesiæ, vt sacerdotes nouiter ordinati ab Episcopo in Missarum solemnibus consecrentur; vbi videtur plures sacerdotes, tanquam causas totales concurrere ad idem sacramentum Eucharistiæ conficiendum, inter quos est principalis Episcopus veluti doxorum, quare cuiandum est illi, vt non post alios verba consecrationis finiat.
- 6 Non est improbable, quod noui sacerdotes in Episcopo verba consecrationis materialiter tantum proferant ac recitative in signum potestatis sibi concessæ, eo quod moraliter impossibile, vt in Episcopo simul verba finiant in eodẽ instante. Vnde consultum est ipsis, vt proferre velint secundum Ecclesiæ intentionem seu voluntatem.
- 7 Vnus minister plures homines validè baptizat, ideo non plures ministri eundem hominẽ baptizare possunt, si concurrant, vt causæ partiales, seu ita, vt vnus ab altero dependeat; Probatur ex institutione

Christi & praxi Ecclesie: Cum enim in Ecclesia inauditum sit, ut plures ministri concurrant ad baptizandum, credibile est, formam verborum eum sensum habere, quem omnes etiam conuenienter accipiunt: Ego te baptizo, id est, ego, tanquam Dei & Christi instrumentum per hanc sensibilem actionem absolute tibi confero sacramentum baptismi. Hoc autem ita simpliciter verum non esset, si plures ministri, ut causae partientes, siue cum mutua inter se essentiali dependentia baptizarent, quia singuli non efficerent sacramentum, nisi secundum quid, ideoque absolute non baptizarent, sed cobaptizarent; Qui discursus etiam ad alia sacramenta applicari potest.

Ad valorem sacramenti satis est, si materia & forma moraliter, videlicet secundum humanum agendi & loquendi morem concurrant actio ministri, & proxima materia videlicet ablutio, unctio, sicuti in simili verè dicere censetur. Ego bibo, qui poculum in manum capit, statim illud ori applicaturus bibendi causa; Neque enim credibile est, quod Christus sacramenta ad moralem hominum visum accommodata, metaphysico rigore abstringere voluerit.

C A P. VIII.

De Ceremoniis sacris & in specie tribus circa baptismum.

Ceremonia est actus externus hominis ad Deum conlendum accommodatus ut genuflexio, crucis formatio. Ceremonie sacre apud Christianum populum visitate, partim à Christo institute sunt, videlicet eę que ad substantiam sacramentorum pertinent; partim ab Ecclesia, Deoque gratę et si præceptum diuinum non accepimus, ut videre in exemplo S. Marię Magdaly

Magdalenz quo ad absterfionem, capillorum, alabastrum & effusionem super caput Christi.

- 2 Cæremoniæ sacræ maximam vtilitatem in Ecclesia habent, augmentum deuotionis, conseruationem fidei, doctrinæ, videlicet ex festorum annua celebratione, mysteriorum Christi intelligentiam percipimus ex crucis, aquæ benedictæ & similibus rerum vsu, crucifixi virtutem aduersus dæmonis machinationem agnoscimus.
- 3 Hæreticorum proprium est, sacras ceremonias contemnere, & abolere, vnde sacrilegi censendi; Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas ait S. Augustinus; sed sine factis ceremoniis pietas perfici non potest; siquidem experientia constat, hominum mentes viis externis actibus Religionis, cælestium æstimationem concipere ac plurimum commoueri ad pietatem.
- 4 Cæremonias & ritus ab Ecclesia institutos omittere aut mutare est peccatum mortale contra virtutem religionis ob leuitatem materiæ, veniale. NB. Cauere debent Parochi ne insolitis cæremoniis & ineptis gesticulationibus, indecoroque cantu rem diuinam cum scandalo populi dehonestent.
- 5 Cæremoniæ, quæ legitimam originem & auctoritatem ab Ecclesia non habent, tollendæ sunt. Cæremoniæ sacræ appellantur sacramentalia quia pleræque ab Ecclesia institutæ sunt ad maiorem ornamentum, & decentem venerationem sacramentorum aut sacrificii.
- 6 Cæremoniæ aliæ antecedunt baptismum, aliæ comitantur, aliæ sequuntur.
- 7 Catechumeni olim alii cõperentes & electi dicebantur vtpote desiderantes baptismum, alii audientes,

descentes, nec dum petentes, sed solum admittebantur ad explicationem Euangelii. Inter antecedentes ceremonias numerantur, nominis datio, consecratio baptismi, trina dæmonis exsufflatio.

Exorcismi adhibentur ante baptismum, ut hominem diabolus infestare desinat, est enim homo ab origine ante baptismum magis obnoxius infestationi diaboli: Alia cæremonia est salis gustatio ad significandam expurgationem à putredine peccati. Alia salina aures & nares baptizandi tangens, aures quidem ut eas homo aperiat ad sermones Christi; nares autem, ut bonum odorem capiant pietatis æternæ: Alia cæremonia est abrenunciatio Sathanæ: Alia, oleum benedictum, fidei professio. Inter cæremonas, quæ ipsum baptismum comitantur primo numeratur, quod sacramentum istud ordinarie ministrari non debet extra necessitatem, nisi in loco sacro seu baptisterio; Excipiuntur I. Principum liberi. II. Affusio aquæ trinae vel vna. III. Patrinoꝝ adhibitio respondentium pro baptizando. Cæremoniæ sequentes baptismum sunt unctio chrismatismatis in vertice baptizati. Chrismatio in fronte à solis Episcopis fieri potest: 2. Alia cæremonia est vestis candida, cereus accensus, lactis & mellis degustatio sed abolita.

Si propter calum necessitatis cæremoniæ in primo baptismo omisse fuerint, postea in Ecclesia suppleri debent, idque etiam intelligi debet de exorcismis.

NB. In homine apud hæreticos baptizato possent suppleri cæremoniæ, sed non est motus, ne fortallerudis populus existimari possit, nos hæreticorum baptismum, debitam formam collatum, tanquam minus validum improbare.

- 1 **P**atrinus seu spiritualis pater baptizati hodie plerumq; obligatione instruendi liberatus est, cum pueri à parentibus, & magistris in fide instrui soleant.
- 2 Ad munus patrini tria requiruntur. Primò, usus rationis (non certa ætas.) Secundò, vt patrinus sit baptizatus vel confirmatus; alioquin inualidè suscipiet munus patrini, & non contrahet cognationem spiritualem. Tertiò, intentio formalis gerendi munus spiritualis patris secundum Ecclesiæ consuetudinem; nec sufficit infantem materialiter tantum tenere. Hæretici, Apostatæ & infames possunt quidem esse patrini, sed non licitè.
- 3 Religiosi patrini esse non debent, ne ob spiritualem cognationem nimia familiaritas cum secularibus præsertim fœminis contrahatur. Excipe tamen, si religiosus Episcopus sit.
NB. Parens non debet propriam prolem suscipere, ne contracta cognatione spiritali cum coniuge, debitum petere non possit. Nec deest, vt duo coniuges simul alienam prolem suscipiant, quamuis id consuetudine cohonestari possit. Vnde Coninckmonet, duos coniuges simul suscipientes non contrahere cognationem spiritualem. Nam alioquin talis susceptio ipsis grauitè prohibita esset.
- 4 Patrinus vnus esse debet, isq; mas, si puer; vel fœmina, si puella: vel summū duo Mas & fœmina; alioquin si plures ob ignorantiam vel negligentiam parochi, cui id seuerè prohibitum, admittantur, modo tangant infantem: Credibile est, omnes spiritualem cognationem contrahere; alioquin si solum plures

plures accesserint, dummodo à parochio non electi, nec tetigerint, non erunt veri patrinus. Nam constitutio correctoria iuris antiqui extendi non debet ultra casus iure expressos. Concilium autem Tridentinum prohibens parochis pluralitatem Patrinorum solum expressit casum, quo ultra designatos alii accesserint, & nihil dixit de casu, quo vel nullus designatus, vel plures, quàm duo designati & admissi sunt.

In priuato baptismo in necessitate collato opus non est patrino, eo quod in tali necessitate parentes non possint tam statim habere idoneos, nec credibile est, Ecclesiam eis in tali necessitate voluisse imponere obligationem, si tamen aliquis ex proposito hoc munus obeat, contra hanc spiritualem cognationem, eò quod patrinus non adhibeatur tantum ad maiorem solemnitatem, sed etiam propter obligationem instruendi puerum.

Improbare non potest consuetudo, secundum quam in quibusdam locis Germaniæ Catholici patrinus existunt filii hæreticorum, baptizante eos ministro hæretico in forma SS. Trinitatis. Ratio, quæ patrini officium est ut externa susceptione proficiatur, quod hominem modo spiritualiter genitum, suscipiat in curam suam, tanquàm spiritualis eius nutritus & pædagogus; id autem præstare potest catholicus etiam infans ab hæretico baptizetur; Nam talis infans verè effectus est membrum Ecclesiæ, ideo indiget instructione in fide. Deinde patrinus non occurrit ad indebitam administrationem baptismatis, sed causa est, ut minus male admittitur, cum aliàs hæreticus patrinus esset admissus, qui promississet illum in hæresi instructurum. Et licet communicet cum hæreticis in sacris, tamen id concessum post

extrauagantem Concil. Constantiensis Ad euitanda, ubi communicatio, tam in sacris, quam politicis, cum hæreticis prohibita non est, nisi denunciati. Cognatum etiam contrahitur cum prædicante: eaque secundum consuetudinem Ecclesiæ ex baptismo sequitur non quatenus malè, sed quatenus valè de à prædicante administratur.

Hæreticus ordinariè, & sine graui causa ac necessitate non potest admitti, vt patrinus, eò quod, licet in canonibus expressè non prohibitum id sit, tamen ex DD. communi consensu non est idoneus ad sponsonem faciendam pro infante. In necessitate & graui causa tamen præmittendus est hæreticus patrinus v. c. in parochia reformanda. Ratio quia hæreticus legitimè baptizatus absolute est capax muneris Patrini, ita vt ex eo spiritualem cognationem contrahat, cur autem illicitè adhibeatur, tres causæ adferri possunt, primò, quia non censetur sponsonem facere pro infante tanquam fidem catholicam suscepturo; sed contra est, quod cum infans à Catholico ministro baptizetur, satis appareat, sponsonem eius non aliter admitti, quam secundum hanc fidem. Deinde quia hæretici non sunt idonei ad instruendum infantem in fide catholica. Verum hodie pueri vix vnquam à patrinis suis instruntur, sed à Parochis, magistris & parentibus. Tertio, quia ex ea re imminet infantibus periculum defectionis à fide, sed hoc periculum admodum probabile & propinquum non esse dictum est, supra hoc tract. cap. 5.

num. 12.



TRA-

TRACTATUS III.

De sacramento Confirmationis.

CAP. I.

De natura & institutione huius sacramenti.

Confirmationis est nouæ legis sacramentum, quo homo baptizatus ex Christi institutione spiritualis gratiæ augmentum & robur accipit per chrismatis vnctionem sub certa verborum forma ab Episcopo datam. Sumitur ex Iohannis 14. 16. Luc. 24. Actor. 1. quibus locis Dominus post ascensum suum in cælos virtutem ac robur Spiritus sancti se missurum promisit in die Pentecostes, quando Apostoli à Spiritu sancto visibili specie descendente confirmati fuerint ad fidem Christi liberè profitendam Actor. 2. Fuit verò modus iste confirmationis extraordinarius & specialis per signa & prodigia diuinitus data. Deinde verò Apostolorum ministerio aliis fidelibus post baptismum acceptam eadem plenitudo gratiæ per manuum impositionem conferri solebat. Actor. 8. Vnde sic arg. Apostoli hanc cæremoniam impositionis manuum super baptizatos nunquam adhibuissent, tanquam certum symbolum accipiendi Spiritus sancti, nisi huius rei promissionem à Christo habuissent: Atqui Apostolos manuum illam impositionem, tanquam certum symbolum accipiendi Spiritus sancti erga baptizatos vsurpasse, constat ex Actis cap. 8. Ergo sequitur habuisse Apostolos à Christo promissionem huius spiritualis doni per talem cæremoniam

niam certò conferendi, adeoque fuisse hoc vnum ex sacramentis nouæ legis.

2 Sacramentum Confirmationis tanquam stabilis Cereinonia semper in Ecclesia usurpatum fuit, constat ex promissione Christi omnibus fidelibus vniuersim facta Iohannis 14. *Ego rogabo patrem & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in aeternum,* quam promissionem in omnes factam esse, testatur S. Petrus ibidem n. 38. 39. Colligitur id etiam ex constante Patrum Traditione Dionysii Areopag. Cyrilli, Tertul. Ambrosii, Theodoret. Hieronymi, August.

NB. Institutum esse hoc sacramentum à Christo ante ascensionem non est dubium, sicuti constat ex iis, quæ dixi hoc libro Tract. 1. c. 2. Sed vsus & administratio huius sacramenti non erat ante ascensionem Christi, quia in hoc sacramento ait S. Thom. datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante resurrectionem Christi. Tempus quo Christus instituit hoc sacramentum existimatur fuisse post resurrectionem Iohannis 20. Cum Apostolis plenam potestatem ordinis sacerdotalis & potestatis Episcopalis in corpus mysticum Ecclesiæ suæ contulit, Sicut misit me meus Pater, & ego mitto vos.

C A P. II.

De materia huius sacramenti.

1 **M**ateria remota sacramenti Confirmationis est Chrisma ex oleo & balsamo confectum, atque ab Episcopo benedictum, quæ omnia ad sacramenti essentiam spectant: De benedictione Chriasmatis, quod de essentia sumitur ex Ecclesiæ traditione perpetua, quæ testatur Chriasmatis confectionem & conse-

consecrationem semper Episcopo reseruatam, & nunquam presbytero concessam fuisse, quod signū est, talem potestatem secundum Christi institutionem ad solos Episcopos pertinere.

Congruentia cur materia Confirmationis & extreme vnctionis, debeat esse benedicta, est; Nam congruum est, vt corporea & sensibilis materia, atque ad animæ sanctificationem adhibeatur, à vulgari & profano vsu per benedictionem aliquam seceretur. Discrimen autem est, quod quibusdam materiis ipse Christus est vsus, ideoque eas sanctificauit, siue aptas reddidit ad perfectionem sacramenti. Sic Christus in Iordane tactu suo sanctificauit aquas, & Luc. 22. Panem & calicem benedixit; quare ad necessitatem huius sacramenti non spectatur benedictio materiæ, sed sufficit benedictio Christi, si qua vero benedictio Ecclesiastica adhibeatur, ea ad solemnitatem accidentalem pertinet. Vnctionibus autem in confirmatione & vnctione extrema Christus ipse non est vsus, neque eorum materiam benedixisse legitur; Quamobrem tūm Chrisma, tūm oleum infirmorum prius necessariò benedici debent, quam ad vsum sacramenti adhibeantur. Episcopi autem debent benedicere tanquam Præcipui repræsentantes personam Christi.

Probabilis est, quod Papa sacerdoti simplici potestatem Chrsimatis consecrandi dare non possit.

Axioma illud: *Qui potest maius, potest etiam facere minus*, habet tantum locum in subordinatis in quibus id, quod minus est, continetur in maiori, tanquam pars in toto v.c. Qui potest facere testamentū potest etiam facere Codicillum, & qui matrimonium contrahere potest, is etiam sponsalia:

Qqq 4 idlo-

id locum habet in rebus distinctis v. c. consecratione Eucharistiæ, & chrisimatis.

NB. Certa forma consecrationis chrisimatis à Christo non est præscripta, sed solum ut per inuocationem spiritus sancti consecraretur, verbis ab Ecclesia ordinatis.

- 4 Materia proxima huius sacramenti est unctio chrisimatis in fronte, facta manu Episcopi in crucis formam, quæ omnia ad essentiam spectant, colligitur tum ex traditione, tum ex forma, quæ Ecclesia vtitur in sacramenti huius administratione.
- 5 Credibilis est Apostolos semper confirmasse baptizatos per chrisimatis unctioem, & hanc ipsam vocari manuum impositionem.

C A P. III.

De forma huius Sacramenti.

- 1 **F**orma huius sacramenti est: signo te signo crucis, & confirmo te chrisimate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, constat ex traditione Ecclesiæ. Tria enim ait S. Thomas sunt necessaria in hoc sacramento, quæ propter formam signari debent. I. Causa principalis efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sancta Trinitas, quæ exprimi debet, sicut in baptismo ad credendam fidem, ita in confirmatione ad profitendam. II. Finis seu effectus gratiæ, quæ his verbis exprimitur. Confirmo te chrisimate salutis. III. Signum spirituale siue character, qui Christiano militi imprimitur sicut à corporali pugna milites Ducis sui insignibus ornari solent, atque his verbis indicatur, signo te signo crucis.
- 2 Probabile est, valiturum sacramentum, si ita con-

conferatur. Signo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vel ita: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Nam in prior forma verborum Signo per adiunctam ministri actionem satis determinari videtur ad significandum signaculum crucis. Et in posteriori forma verborum Confirmo, adiuncta actione ministri frontem signantis determinari videtur ad significandam confirmationem, quæ fit per unctionem formatam signo crucis.

Antiqui propter formas sacramentorum infidelibus prodi cauebant, vnde mirum non est, quod apud Patres tum huius, tum aliorum sacramentorum formas expresse non legamus.

C A P. I V.

De effectibus huius sacramenti.

Effectus huius sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis insuper actualis gratiæ auxili-
um ac robur tempore opportuno conferendum, ad fidem Christi constanter profitendam.

Conuenit, vt adulti ante confirmationis susceptionem sacramentum sacramentaliter confiteantur. Licet enim nullum præceptum extet, ideoque contritio sufficiat; tamen tutius est confiteri. Nam cum hoc sacramentum gratiæ augmentum conferat, necessarium est, vt suscipiens iam ante in gratia Dei constitutus sit, siue spiritualiter viuat; siquidem augmentum supponit vitam. Vnde consultius est te in gratiam Dei constituere per sacramenti confessionem.

Manus impositio confirmatoria & ordinatoria, resque non possunt: aliæ verò manuum impositiones

nes videlicet consecratoria, curatoria & reconciliatoria repeti possunt.

C A P. V.

De subiecto siue suscipiente huius sacramenti.

- 1 **S**ubiectum capax huius sacramenti est omnis & solus homo baptizatus, colligitur ex Act. 2. & ratio congruentiae est, quia sicut natura quos generauit ad perfectam adducere conatur; ita etiam Deus & ministerialiter Ecclesia, quos spiritualiter generauit per baptismum ad statum perfectiorem gratiae adducit per confirmationis sacramentum.
- 2 In plerisque Ecclesiis licet olim, iam tamen infantes ante usum rationis v. c. septennium confirmari non solent, idque ob reuerentiam & utilitatem maiorem suscipiendi hoc sacramentum, utpote concurrente actuali fide & reliqua dispositione suscipientis.
- 3 Qui perpetuo amentes sunt, & infantes in mortis articulo vtiliter ac recte confirmari possunt: Ratio est, quia eiusmodi cum fructu spirituali & sine reuerentia sacramentum confirmationis suscipiunt, sicut & baptismum, estque per accidens, quod nunquam spiritualiter militaturi sint.
- 4 Hodie non extat praecipuum obligans sub peccato ad suscipiendum confirmationis sacramentum secluso contemptu, eò quod non necessarium ad salutem. Tamen veniale sine causa aliquem ordinare, qui confirmatus non est cum Ecclesiarum consuetudo repugnet.

C A P. VI.

De ministris huius sacramenti.

Minister huius sacramenti solus Episcopus est, ¹
Collig. ex Act. 8. & 19. & traditur in Concilio
Florent. Potest tamen Papa ex plenitudine potesta-
tis suae simplici sacerdoti committere, est enim a-
ctus iurisdictioni non ordini Episcopali com-
petens.

Ad legitimam huius sacramenti ministracionem ²
iurisdictione etiam requiritur, ideo Episcopus alios
confirmare non debet, quam qui ipsi spiritualiter
subiecti sunt: Excipe nisi quis habeat dimissionales
ad suscipiendos ordines, tum etiam potest confir-
mari prius, si non sit confirmatus. Nam concessio
vno censetur etiam concessa reliqua, sine quibus
ad illud conuenienter perueniri non potest.

Episcopus mortaliter peccat, si longo tempore ³
confirmationis sacramentum ministrare intermit-
tat: quia magno spirituali fructu priuat subditos su-
os, quorum tamen pascendorum cura ipsi ex officio
incumbit.

C A P. VII.

De Cæremonijs huius sacramenti.

AD Cæremonias pertinet, Primò, Benedictio ¹
Chriftatis. Secūdò A desse debet Patrinus sub
mortalis, alius à patri no baptisimi, nisi necessitas aliud
postulet. Tertio, Recitantur orationes cū impositio-
ne manus super caput. Quartò, Frons chrismate vn-
cta, vita, ligatur, quæ circūferri debet, donec vnctio
siccata, quāuis in ea re cuiusq; loci cōsuetudi-
nem

nem

nem seruare oportet: Nam alicubi mos est, vt mox post collatum sacramentum frons abluatur à ministris in fonte baptismatis, si autem per triduum, vt moris in nostra patria circumferatur, à laicis etiam abluì potest, sed vitta debet comburi, & non ad profanum vsum adhiberi. Quintò, Episcopus confirmato leuem alapam infligit, vt significetur, Christianum militem paratum esse oportere, ad iniurias pro Christi nomine perferendas.

TRACTATUS IV.

De venerabili sacramento Eucharistiæ.

C A P. I.

De natura huius Sacramenti.

1 Eucharistia est sacramentum sanguinis & corporis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem diuinitus institutum. Constat ex perpetua Ecclesiarum traditione & definitur in Concil. Lateran. Nam sacramentum est sensibile signum rei sacræ ad hominem sanctificandum diuinitus institutum. Huiusmodi autem est S. Eucharistia: siquidem species panis & vini significant corpus & sanguinem Christi, quæ sub ipsos continentur, tanquam spirituale anime nutrimentum iuxta Iohannis 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

2 Transmutationis seu conuersionis panis & vini in verum corpus Christi & sanguinè eius frequens est mentio apud Patres, Ambros. Cyrill. Chrylost. Greg. NB. Ad totale siue integrum sacramentum pertinet, vt sit signum sensibile non tamen ad quamuis partem constituentem sacramenti, vt patet in contri-

contritione, quæ est pars sacrament pœnitentiæ: sacramen non per se, sed per peccatorū confessionem sensibilis fit, sic etiam corpus & sanguis Christi per se non sunt sensibilia, sed per alteram partem sacramenti, videlicet ratione specierum.

Eucharistiæ sacramentum omnium excellentissimum est, quia continet in se Christum viuum Deum ac hominem verum, fontem & authorem omnis gratiæ, quæ causa est, cur inter omnia sacramenta hoc vnicum cultulatriæ adoretur.

Materia & forma aliter se habent in hoc sacramento ac in aliis, quæ successiuū esse habent. Nam in aliis sacramentis materia & forma sunt partes componentes sacramenti, sed hoc sacramentum ex speciebus panis & vini, & ipso corpore Christi ac sanguine, quodammodo componitur, nec panis & vinum & forma sunt causæ effectrices gratiæ sanctificantis, sed ipsum sacramentum.

Eucharistia sub speciebus panis ac vini est vnicum integrum ac perfectum sacramentum, idque virtute morali ad eum modum quo dicitur una domus, vnus exercitus, tamen si pluribus partibus constet, ideoque moraliter plura sint; ita & hoc sacramentum licet & materiæ concurrant, tamen quia ad vnum finem ex Christi institutione ordinantur, vnum sacramentum sunt, quia vnum sacrificium cruentum significant, vnum Deum continent, vnum effectum gratiæ sanctificantis.

Eucharistiæ sacramentum variis nominibus appellatur; sacrificium, hostia, panis vitæ, Eucharistia, videlicet bona gratia, viaticum, viam nobis præbens ad vitam cœlestem. Synaxis seu communio quia participantes sanguine & carne, ipsaque Deitate

rate

tate Christi unimur in ipso & inter nos diuina charitate.

C A P. II.

De materia Eucharistiae.

1 Materia ex qua sacramenti Eucharistiae, est panis, & vinum: Prob. ex institutione Christi, Matth. 26. & Marc. 14. Congruentia huius institutionis est, quia panis & vinum ob mundiciem aliasque qualitates ac virtutes convenientissimè ad conuiuium adhibentur. Nam panis confirmat, vinum exhilarat, ideoque aptissima materia sunt ad significandum virtutem, finem, & effectum huius sacramenti, quod ad spiritualem animæ alimoniam peculiariter institutum est.

2 Panis triticeus esse debet necessitate sacramentali comprehendit etiam far & triticum, siliginem & avenam. Nam & hæc materia eo fine seminatur & crescit, ut exinde panis pro hominis victu conficiatur; peccat tamen grauius sacerdos si possit habere triticum, & tamen adhibeat siliginem. Ratio assertionis petitur ex verbis Euangelistarum, & traditione Ecclesiae: Christum in vltima cœna talem panem, qualis communiter in conuiuiis vsitatus est, consecrasse.

3 Oryza, auena, mylium, hordeum non sunt materia huius sacramenti, cum ex iis non soleat panis confici pro hominis victu, nisi e b defectu tritici: Quare nec simpliciter panis vocabulum meretur, sed cum addito, panis hordeacius, panis auenarius.

NB. Panis ex triticea farina & aqua elementari (non rosacea,) nec lacte mixtus atque ignis caloreustus esse debet: Nam materia huius sacramenti ex Christi

Christi institutione est panis hominibus vsitatus, talis autem est ille, quem descripsi, deinde modica admixtio ad magnam quantitatem tritici alieni frumētum non vitiat materiā, quia quod modicum est, quodammodo absumitur à materia copiosiore.

Ut panis azymus sit, non est de necessitate sacramenti quamuis id iuxta cōsuetudinem Ecclesiæ Latinæ conuenientius sit, cum etiam Christus in azymo consecrārit: Et non solum Latinus peccat, si in fermentato cōsecret, sed etiam Græcus si in azymo, quamdiu intra terminos Ecclesiæ suæ commoratur. Etiam ne quidem in casu necessitatis v. c. si infirmus communicandus sit, & Latinus non habeat, nisi panem fermentatum: Ratio, quia ad Ecclesiæ utilitatem, maiestatem, tantique mysterii reuerentiam valde interest vniuersales in eo ritus vniuniformiter obseruari. Quare cum sacramentum hoc non sit absolute necessitatis meritò ratio publica priuato commodo spiritali præfertur.

Vinum, quod est materia calicis de vite esse debet, nec vuz sunt materia: Ratio, quia institutio & significatio calicis requirit, vt materia eius sit potus: Vuz autem cibi potius, quam potus rationem habent, cum in eis vinum non contineatur tanquam in vasi, sed tanquam pars in toto ad eum modum, quo sanguis v. c. in corpore animalis continetur. Nec acetum est materia, cum sit vinum corruptum & putrefactum; Potest tamen confici sacramentum ex vino acido, sicut ex pane mucido, nondum corrupto, sed ad corruptionem disponente.

Mustum seu vinum recens expressum valide consecratur, sed non licitè, similiter vinum congelatum: De musto propter fèces obstat irreuerentia, vinū congelatum

gelatum non est materia conueniens, est tamen valida, quia vinum congelatum retinet substantiam vini. Quod verò aqua congelata non sit materia baptismi, ratio est, quia baptismus essentialiter consistit in ablutione, qui per glaciem fieri non potest. At S. Eucharistia essentialiter non consistit in potatione, perficitur enim & perfecta manet ante usum, vnde vinum congelatum potest esse materia valida sed non licita.

7 Admixtio aquæ ad vinum non est de essentia sacramenti, sed præceptum tantum Ecclesiæ propter effluxionem aquæ & sanguinis ex latere Christi Iohannis 19. Peccat tamen mortaliter, si non misceat aquam sacerdos iuxta Concil. Triden. & secundum Henric. Valenti: Non est improbable ex Christi præcepto ab Apostolis nobis tradito, vinum aqua miscendum esse.

8 Quid cum aqua fiat in calicem infusa, vtrum in sanguinem Christi conuertatur magna olim fuit dubitatio.

9 Aqua nisi valdè copiosa sit effusa fuerit, vt quantitatè vini superet, vnà cum vino in sanguinem Christi commutatur, iuxta responsionem Innocentii Papæ dicentis: Aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expressius eluceat proprietas sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint, populi multi, &c. ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur.

NB. Species aquæ non retinent consecrationem nisi sint cum speciebus vini consecrati coniunctæ, eò quod aqua vino mista non nisi accessoriè est materia consecrationis.

10 Materia consecranda sacerdoti moraliter presens esse debet: Probat ex consuetudine Ecclesiæ &

Prono

Pronomine Hic, Hoc, denotante rem sensibus expostam, tunc ex ratione sacrificii postulantis hostiam seu rem oblatam præsentem esse. Vnde materia non consecratur si sit à tergo sacerdotis, aut sub corporali latens, nec necessitate sacramenti requiritur, ut materia manu teneatur, aut acta videatur si v.c. sacerdos cæcus sit.

Neque magnitudo nec paruitas materiæ obstat **R I** per se loquendo quominus valide consecratur v.c. vinum in dolio, multitudo panum: Ratio, quia & maximus panis, & minimus, vinum copiosum & minimum, verè panis ac vinum sunt. Dixi autem per se loquendo, quia si ponamus tam multam vel magnam materiam, ut tota, seu secundum omnes partes suas sacrificanti moraliter præsens non sit, tunc non tota seu non secundum omnes partes consecrabitur.

Ad valorem consecrationis requiritur, ut sacerdos **I 2** materiam consecrandam determinatè cognoscat & intendat: Cum enim omnis actio transiens versetur circa singularia determinata seu definita, sequitur, etiam intentionem ministri, quæ est causa practica huius actionis siue consecrationis ferri debere in materiam determinatam ut definitam, sicut etiam demonstratiuè Hic, Hoc, significat. Quamobrem irrita est consecratio, si sacerdos habeat intentionem consecrãdi aliquam partem materiæ indeterminate ac distinctim, v.c. si ex octo hostiis præsentibus quinque indeterminate consecrare velit, vel vnã aliquam partem hostiæ indeterminate, puta dimidiam vel partem tertiam: sin verò ex octo hostiis quinque determinet, vel certam partem hostiæ animo designet; valida est consecratio quamuis **R II** Sacer;

- 13 Sacerdos censetur habere intentionem consecrandi, quæ sit Ecclesiasticæ consuetudini conformis: unde et si existimet quinque tantum hostias adesse cum sint sex, omnes consecrat, quia speculativus ille error, quo existimantur esse pauciores nihil obstat practicæ intentioni consecrandi omnes presentes.
- 14 Si quis incerto seu non advertente sacerdote formulas in altari ponat, non consecrabuntur cum nec actualis, nec virtualis intentio adsit.
- 15 Torum quod in calice per modum continui est consecratur. Nam hæc videtur esse communis & optima intentio Ecclesiæ consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum unius continui in calice continetur. Unde verisimile est, eas guttas vini non consecrari, quæ intra calicem siue in interiore calicis superficie à reliquo vino separatae hærent.
- 16 Quod si sacerdos aliam propriam intentionem habeat v. c. consecrandi omne vinum, adeoque guttas etiam separatas, quæ intra calicem continentur: aut si ita secum statuat: si contingat, me tempore oblationis non recordari formarum appositarum pro communionem populi, vel si contingat tempore consecrationis me non recordari oblato. ù, tunc nolo ea consecrare, fiet quidem sicuti intendit, sed videtur peccare, eò quod intentio talis conformis non sit communi intentioni, ac praxi Ecclesiæ.

C A P. III.

De forma S. Eucharistia.

- 1 **F**orma substantialis verborum, quibus Christi corpus conficitur hæc est Hoc est, corpus meum, & quibus calix consecratur: Hic est sanguis meus.

Prob.

Prob. ex facto Christi apud Euangelistas & S. Paulum 1. Cor. II, Hoc est corpus; Non, est forma: Illud est Corpus Christi, Non, est accidens.

Virtute verborum per Omnipotentiam Dei substantialis fit conuersio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem.

NB. Sensus horum verborum: Hoc est corpus meum, est contentum sub his accidentibus siue speciebus, Est; Corpus meum, quod verificatur, cum primū verba finita sunt. Et hæc quatuor vocabula sunt de essentia transubstantiationis, reliqua tamen recitariue ex necessitate præcepti adiunguntur.

NB. Sensus horum verborum. Hic est calix sanguinis mei, &c. Hic est sanguis meus contentus in calice.

NB. Reliqua verba: Noui Testamenti, &c. licet ad essentiam formæ non pertineant, tamen sine graui peccato omitti non possunt, cum à Christo ipso dicta esse partim ex scriptura, partim ex traditione habeatur.

Omnia verba Canonis incipiendo à *Qui pridie* vsque ad *Vnde & memores*, dicuntur à sacerdote recitatione & historice saltem verba: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus dicuntur nō tantum recitatione, sed etiam formaliter, significatiue & assertiue; induendo enim Sacerdos personam Christi, ipsemet facit & dicit, quod ille in commemorationem suam, ac representationem sacerdos facere præcepit. Nam nisi sacerdos in cōmemorationem Christi verba consecrationis formaliter, & significatiue proferret, affirmādo & asserēdo hoc quod in manibus tenet esse corpus Christi, tunc verborū virtute non fieret consecratio siue conuersio, quia

Rrr 2 verba

verba sacramentorum non efficiunt, nisi quod significant. Confirmatur. In forma sacramenti necessario significari debet actio Ministri, id autem non fieret, nisi sacerdos tanquam Christi personam representans significaret, per hanc ministerialem verborum consecratoriam formam conuerti panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem.

CAP. IV.

*De subiecto, seu Personis suscipientibus
huius sacramenti.*

Tres sunt manducationes seu modi sumendi S. Eucharistiam. Primus est manducatio sacramentalis, tamen sine effectu, qui sumendi modus locum habet in peccatoribus iuxta Apost. 1. Cor. 11. *Iudicium sibi manducat.* Secundus modus est manducatio merè spiritualis, solum per desiderium comunicandi. Tertius est manducatio spiritualis & sacramentalis simul.

NB. Quod si quis ex inuincibili ignorantia alicuius peccati mortalis communicet: Aptum est hoc sacramentum etiam hominem iustificare, aliàs per se solum ad augmentum gratiæ conferendum institutum pro iustis.

2 Olim etiam infantibus Eucharistia dabatur, nunc tamen dari non solet ante sufficientem rationis discretionem. Nam licet S. Eucharistiæ paruulis collatum gratiam augeat, tamen ipsis non est necessarium, nec propriè pro eis institutum: Habet enim rationem spiritualis alimonix restaurantis vires animæ, quæ tum per internum concupiscentiæ fontem, tum per externas spiritualium hostium insidias debilitantur. Hæc autem ratio necessitatis locum non

non habet in infantibus, quippe qui in gratiã consti-
tuti sunt, quam in tali ætate amittere non possunt.
igitur ob maiorem dignissimi huius sacramenti re-
uerentiam, non immeritò paruulis non denegatur.

Pueri ac puellæ prius ad S. Confessionem, quã ad 3
sacram Communionem adducendi sunt: quia ex v-
tra parte sacramentum pœnitentiæ ipsis magis ne-
cessarium est, si fortè in mortale lapsi. Deinde nul-
la reuerentia in confessione puerorum committi-
tur, si enim doli capaces non sint, non debent ab-
soluti.

In extremis possunt tamen pueri confitentes et-
iam communicari, quia cui sacramentum Pœniten-
tiæ conceditur, neque Eucharistiæ sacramentum ne-
gari debet si desideret.

Consuetudo in quibusdam locis pueros ante an-
num decimum quartum, fœmellas autem ante duo-
decimum annum non admittendos ad communio-
nem, non est damnanda, idque tum propter reue-
rentiam sacramenti, tum propter maiorem fru-
ctum recipientium, si melius dispositi accedant.
Nec ut Chapeauille ait, ante dictam ætatem pueri
in mortis articulo ad communionem obligantur.

NB. Pueri propter animi leuitatem non tam
frequenter admitti debent ad communionem, quàm
adulti, quod tamen confessario prudenti relin-
quitur.

Perpetuo amentibus non est danda S. Eucharis- 4
tia, vt infantibus. Qui verò post rationis vsum in-
amentiam inciderunt, his in mortis articulo tantum
S. Eucharistia danda est, si capaces esse videantur.
Ratio, quia tanti sacramenti dignitas ac reuerentia
postulat, vt sine graui necessitate non detur nisi iis,

Rrr 3 qui

qui cum actuali dispositione ac deuotione accipere possunt: Talis autem necessitas non nisi in mortis articulo cernitur, ne amentes absq; viatico decedat, quod ante amentiam ipse seu explicitè desiderasse eo ipso praesumitur, quod Catholicè atq; obligationis & salutis suae non immemores vixerint; Id verò propositum ac desiderium cum ipsi in tali statu per se exequi non possunt, Ecclesia meritò supplet. Accedit fieri potuisse, vt in peccato mortali, quod vel ignorabant, vel de quo imperfecti arbitri erant cum proposito confitendi in amentiam inciderint, quo casu per susceptionem S. Eucharistiae iustificari poterunt iuxta Suarez. Excipe primò: Nisi praesumi debeat, aliquem in statu peccati mortalis atq; impenitentem in amentiam incidisse. Secundò, si amentis sine periculo irreuerentiae communicari non possit, cuius rei experientia capi potest praebendo illi vnam vel alteram hostiam non consecratam. Tertio, si spes sit, amentem recepturum vsum rationis tunc tale tempus expectandum est, vt cum maiori fructu & reuerentia sacramentum suscipiatur.

NB. Semiamentes & qui imperfectè vsum rationis obtinent ad communionem admitendi sunt, modo eum rationis vsum obtineant, vt peccare, & sacramentalem absolutionem accipere possint; atq; inter cibum spiritualem & profanum discernere possint, alioquin inter infantes numerandi.

5 Surdis & mutis à natiuitate S. Eucharistia & alia sacramenta ministrari possunt; Ratio, quia licet talis homo distinctè edoceri atque intelligere omnia non possit, quae ad substantiam sacramentorum concurrunt: sufficit tamen, si ad Eucharistiam accedat, tanquam ad cibum non profanum, sed spiri-

spiritualem in animæ salutem diuinitus institutum, si sacramentum absolutionis perat, tanquam remedium peccatorum suorum, dummodo de iis dobeat, & quatenus potest ea confiteatur. Plerumque autem tales muti ac surdi colligere solent, at contra consideratione eorum, quæ ab aliis fieri videntur, videlicet, quod cum reuerentia sacramentum adorent, cum deuotione sumant. Item quod cum dolore ac gemitu ad confessionem accedant, accusantes se de peccatis suis: Hoc ipsum inquam si neque oculis priuari neque mente hebetes sint, deprehendere possunt ac solent, partim propria consideratione eorum, quæ ab aliis fieri videntur, partim etiam nutibus ac signis, quæ ab aliquo instructore ipsis adhibentur. Talem instructionem facilius adhibebunt illi, quibus cum surdus ac mutus continuò habitat, vel saltem Confessarius à talibus edoceri poterit, quomodo cum surdo ac mutuo nutibus agere debeat, ut vim spiritualem sacramenti aliquomodo percipiat, & quædam peccata quatenus potest, signis declaret, ad absolutionem accipiendam. Non debet tamen confessarius excepto mortis articulo mutum & surdum absolueri, quamuis de peccatis suis dolere se significet pectus tundendo, nisi vnum saltem peccatum in specie aperiat per consuetum sibi aliquem motum.

Energumenis seu obsessis S. Eucharistia danda est, si eam absque irreuerentiam sumere possint, & non propter scelera sua in potestatem diaboli venerint.

De necessitate & obligatione huius sacramenti suscipiendi.

- 1 **S**umptio S. Eucharistiae proprie loquendo non est necessaria hominibus necessitate medii ad salutem, quia tantum haec duo Baptismus & Pœnitentia instituta sunt tanquam media per se iustificationis: Baptismus ad remissionem peccatorum originalis. Pœnitentia autem pro lapsis. At Eucharistia nec instituta est ad remissionem Originalis, nam alioquin etiam paruulis danda, quod reprobat Concil. Trident. neque ad remissionem mortalis peccati. Nam alioquin, qui mortaliter peccasset, post sumptum viaticum deberet denuò Eucharistiam sumere si posset, quod tamen D. D. communiter negant. Imò nec licitum est, eodem die iterum sumere, nisi infirmus, qui post sumptum viaticum mortaliter peccauit, mox se moriturum existimet, sed sufficiente ei est atque necessarium sacramentum Pœnitentiae re vel voto sumptum, qua de re Suarez disp. 40. s. 1.
- 2 **S**umptio S. Eucharistiae fidelibus adultis necessaria est, necessitate præcepti diuini, non tantum in mortis articulo, sed sæpius in vita: Hæc assertio habet tres partes. Prior probatur ex verbis Christi Iohannis 6 *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habetis vitam in vobis.* Secunda pars probatur ex perpetua praxi Ecclesiae, magna diligentia cauentis, ne infirmi sine viatico decedant. Unde Parochis mandatum, & mos in Ecclesia semper vergit, pro morituris in sacrario S. Eucharistiam asseruari debere. Tertia pars assertionis: Quod fideles in vita

vita sc̄pe ex Christi præcepto Iohannis 6. obligen-
tur communicare; probatur, quia hoc sacramen-
tum institutum est per modum spiritualis cibi &
potus nutrientis animam, qua analogia significare
videtur sine cœlesti hoc cibo vitam hominis spiri-
tualem diu consistere non posse iuxta Iohannis 6.

Nisi manducaueritis carnem Filii hominis.

Frequentius accidit, vt S. Eucharistia ad infir-
mos deferenda sit, quam extrema Vnctio, quia non
tantum mortis periculum expectandum est ad com-
municandum infirmum, quantum ad vngendum.

NB. Solum in probabili periculo mortis Eu-
charistia non ieiunis porrigenda.

Si homo paucis v. c. octo diebus, antè, quàm in
mortis periculum incidit, communicârat, non tene-
tur iterum communicare (secus si longiore tempo-
re.) Nam præceptum de Eucharistia ante mortem
sumenda. secundum substantiam impleuit. Imò Sa.
Cæteran. Armilla negant, eum mortaliter peccare,
quia cum Paschate communicauit superuenienti
mortis periculo S. Communionem intermittit per
negligentiam, tamen sine contemptu.

Ecclesia non permittit, vt aliquis intra eundem 5
diem bis communicetur.

Parochi aduigilare debent, an aliqui in mortis 6
periculo constituti sint, vt mature & de die S. Via-
ticum illis adferant; si necesse tamen, etiam nocte.

Frequens S. Eucharistiæ sumptio commendabi- 7
lis est, iuxta morem Ecclesiæ primitiuæ quotidie
potest institui, Actor. 2. Laicis tamen propter di-
stractiones & impedimenta huius vitæ octauo quo-
que die permittitur, idque iudicio confessarii.

Ecclesiæ præcepto fideles obligantur ad Eucha- 8
ristiam

R r r 5

rīstīam in Paschate sumendam, videlicet à Dominica Palmatum, vsq; Dom. in Albis, idq; communi iure; alioquin per consuetudinem extensum est hoc tempus, vt totam Quadragesimam complectatur, vti Mediolani. Monachii autem quatuordecim dies ante & quatuordecim dies post Pascha obseruant. Quod si quis paschali tempore non communicet, debet postea cum primum commodè potest communicare. Cum enim vnum principaliter præcipitur, alterum secundariò, etsi quod secundarium est negligatur, aut seruari non possit, debet tamen impleri quod principale est, vt si quis obligatur tributum soluere in die S. Georgii, si tunc non soluat, postea cum primum potest soluere cogitur: Sic autem Ecclesiæ quoque principalis intentio est, obligandi fideles, singulis annis saltem ad S. Eucharistiam sumendam, secundariò autem determinat tempus paschale veluti maximè conueniens, & memoriam tum passionis, tum sacramenti huius institutionis.

- 9 Qui præuidet, se in Paschate à S. Communionē impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire, modò intra eum annum semel communicarit, Ratio, quia nemo obligatur ad anticipandum opus præceptum nisi tali anticipatione satis fiat præcepto Ecclesiæ de communionē paschali, quod eo signo colligitur, quia si postea impedimentum ponamus præter opinionem tolli, adhuc obligatus erit ad paschalem communionem.
- 10 Pœnæ Canonice iis decretæ, qui annuam confessionem seu communionem paschalem intermittunt, non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ ab ordinario loci, vnde parochi propter defectum iurisdictionis

tionis in foro externo non facile eam pœnam inferre debent, nisi ex commissione ordinarii.

Nullum Christi præceptum extat de sacra communione ab aliis, qui non sacrificant sub vtraq; specie sumendi: Ratio, quia quæ ad accidentales modos seu ritus sacramentorum pertinent, ea Christus non præcepit, sed Ecclesiæ disponenda reliquit: At verò Communio sub vna aut vtraq; specie ad accidentalem modum sumptionis Eucharistiæ pertinet, quippe realiter toto Christo sub qualibet specie contento. Ergo de ea Christus nihil præcepit, sed Ecclesiæ reliquit secundum temporum & locorum circumstantias determinandum. Vnde illud Iohannis de vna specie: *Caro mea verè est cibus*, & 1. Cor. 10. *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus*. Et Iohan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me*: manducando enim Eucharistiam seu speciem panis, Filius Dei in nobis manet, & nos in ipso. Idq; expli. at Concil. Trident. sess. 13. c. 3. vbi ait: Licet ex vi verborum consecrationis solum Christi corpus adsit; tamen per concomitantiam seu connexionem adesse sanguinem, animam, & vitam, quandoquidem Christus postquam ex mortuis surrexit, iterum moriturus non est, Rom. 5. Adesse etiam diuinitatem propter admirabilem & indissolubilem verbi diuini cum corpore & anima eius hypostaticam vnionem obiectionum solutiones, vide in Authore.

NB. Sacerdos de oblatis suis, adeoq; de vtraque specie participare debet iuxta præceptum Christi, quo tendant verba. Hoc facite idque ob perfectionem sacrificii

Essentia est spiritualis fructus Eucharistiæ, quatenus sacramentum est in vnica specie consistere potest.

Sacra

- 13 Sacra Communio sub vna panis specie in Veteri etiam Ecclesia vsitata fuit; patet ex Clement. Alex. Tertull. Basilio, Hieronymo.
- 14 In veteri Ecclesia consuetudo erat S. Eucharistiam in Ecclesia à sacerdote acceptam domum ferendi in mundo linteo, & sumendi, qui tamé mos postea sublatus.
- 15 Clericorum Communio olim appellata erat, quæ intra altaris cancellos fiebat, Laicorum verò, quæ extra cancellos. Clerici sub vtraque, Laici sub vna communicabant.
- 16 In veteri Ecclesia indubitatum erat S. Eucharistiam consecratione effici, extra vsum permanere, adorandam & asseruandam esse, vt attestantur Patres Dionys. Areopag. Clemens, Origenes, Basilius, Nazian. Chrysoft.

C A P. VI.

De requisita animi ac corporis dispositione ad susceptionem S. Eucharistia.

- 1 **P**eccata actualia commissa inter communicandum, venialia, licet effectum & Eucharistiam, quæ est gratia sanctificans non impediunt, eò quod non ponant obicem gratiæ sanctificanti; Quandoquidem cum ea consistere possunt; faciunt tamen, vt sacramentum minus reuerenter suscipiatur.
- 2 Ad augmentum gratiæ in suscipiente iusto actualis dispositio non requiritur necessario, nisi vt sacramentum voluntariè suscipiatur, tanquam spiritalis cibus animæ. Nam alioquin sequeretur, quod homo iustus suscipiendo Eucharistiam sine actuali deuotione mortaliter peccaret, & iustitiam amitteret, quia poneret obicem gratiæ sacramenti; conse-

consequens autem videtur absurdum & contra
communem fidelium persuasionem.

Cum peccato veniali actuali S. Eucharistiam sus-
cipere venialis irreuerentia est, eò quod venialia re-
pugnant sibi secundo huius sacramenti, & effe-
ctus, qui est vt per modum cibi spiritualis animæ su-
perius consolationem afferat, venialia autem impe-
diant hunc effectum consolationis hoc ipso quod a-
ctualem deuotionem & charitatis feruorem directe
impediant.

Qui cum conscientia peccati mortalis S. Eucha-
ristiam sumit, graue sacrilegium committit: Ratio,
quia præterquam quod hoc sacramentum ex iis ipsis
fit, quæ non mortuorum, sed viuorum sunt, pecu-
liariter etiam institutum fuit, vt homines cum Chri-
sto vniant, cui vnioni quam maxime repugnat pec-
catum mortale, quippe quod hominem à Deo auer-
tit & inimicum reddit. Confirmatur ex Apost.
1. Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane
comedat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit in-
digne, iudicium sibi manducat & bibit.*

Communicaturus si mortalis peccati conscius
sit, sacramentaliter confiteri debet, si id fieri possit
iuxta tradit. & Concil. Trident. Ab hoc ramen
præcepto excipitur casus, quo urgente sacrificandi
que communicandi necessitate Confessarii copia
non est. Talis necessitas censi debet. Primò, vt
morituro viaticum præbeatur, si alia hostia conse-
crata desit. Secundò, si sacrificium vel communio
sine graui infamia, vel populi scandalo omitti non
possit. Tertio, si sacerdos ex officio celebrare te-
neatur, aut fideles iure suo sacrificia exigant, neque
per alium id perfici possit. Quarto, si sacerdos
post

post consecrationem recorderetur peccati mortalis, debet elicitā contritione sacrificium persequi; si autem ante consecrat: obligatus videtur ad confitendum, si commode & sine nota infamiae possit: praesertim Canone nondum cepto. Sed contrarium docet Sotus: Etiam sacerdotem recordantem, se esse in mortali, ne quidem potest introitum tenei discendere; quae sententia in praxi sequenda, quia vix unquam sacerdos sine confusione missam interrumpere & confiteri potest.

- 6 Satius est, die festo missam intermittere, quam non praemissa confessione sacramentali sed sola contritione elicitā de peccato mortali sacrificare, quia praecipuum, quod minus est de missa festo die audienda, vel facienda eedit maiori praecipuo de non sacrificando cum conscientia peccati mortalis, nisi praemissa sacramentali confessione. Excipe tempus Paschale, quo sacerdos melius faciet, si non habens copiam confessarii praemissa contritione sacrificet, quam si paschalem communionem omnino intermitteret.

Tunc autem copia Confessarii non habetur, si vel nullus adsit sacerdos approbatus; ad absentem autem sine magna difficultate, spectatis circumstantiis personae itineris accessus esse nequeat, vel si adsit quidem sacerdos confessarius iurisdictione praeditus, cui tamen poenitens sine periculo grauis aeternae confiteri non possit.

- 7 Sacerdos qui ob necessitatem ad vitandum graue scandalum sine praevia confessione celebravit, quam primum postea confiteri debet, si mortale habuerat. Laici autem non possunt communicari sine praevia confessione, si non habeant confessarium.

Pecca-

Peccatori publico, seu publicè, seu priuatim peccanti neganda est Eucharistia: Ratio, Nam ex vna parte publicus peccator neq; re ipsa neque externa specie ius habet S. Eucharistiam petendi. Ex altera vero parte ad sacerdotis officium spectat, vt fit fidelis dispensator & sanctum non det Canibus Matth. 7.

Tribus autem modis crimen notorium fit: Primo per confessionem rei in iudicio. Secundo per sententiam condemnatoriã, in eundem latam, quæ duo sunt notoria iuris. Tertio, Notitia facti, si crimen palam commissum nulla tergiversatione celari possit. Quod si iam crimen per publicam sententiam aut notitiam facti notorium sit, criminoso, quæ sacerdos scit, in crimine persistere negare potest Eucharistiam. Imò etsi sacerdos priuata notitia sciat peccatorem emendatum esse, si tamen emendatio publicè ignota sit, & criminis infamia personuerit, neganda est Eucharistia ob scandalum vitandum, quod tamè scandalum tollitur, si pœnitens post sacramentalè confessionè in priuata capella cõmunicet.

Adde propter publicè quoq; & vehemètia criminis indicia, quæ violentè præsumptionem inducunt, S. Eucharistia neganda est v. c. incarceratis propter Magiam, & nondum confessis fanis, donec infamia laborantes se purgauerint.

Ad sacram Eucharistiam sumendam in criminis purgationem, Reus suspectus cogi non debet ob periculum grauissimi sacrilegii, quod maxime verum est, si is, à quo tale iuramentum exigitur, delictum suum manifestare non teneatur. Quare grauius peccat maritus v. c. si vxorem cogat, vt hoc modo se à suspitione adulterii liberet.

Pecca-

10 Peccatori occulto S. Eucharistia negari potest, si priuatim petat, Ratio, quia cum peccator nullo iure S. Eucharistiam petat, quippe quæ ex propria institutione & peculiari sanctitate iustis tantum & sanctis conuenit, ideo peccatori negari debet, si sine eius infamia populi scandalo, vel simili graui incommodo negari potest.

NB. Tamen sacerdos debet aliunde & non ex confessione notitiam peccati habere, ne (negati) fiat confessio sacramentalis, odiosa.

Præterea peccatori occulto publicè S. Eucharistiam petenti, negari non potest, quia nec Christus Iudam à communione remouit: Ratio, quia docet actus publicæ potestatis & dispensationis exerceri secundum publicam notitiam & opinionem, & non secundum priuatam scientiam cum alioquin multæ perturbationes, scandala, iniuriæ, oriri possent; Idem dicendum de aliorum sacramentorum publica petitione v.c. Clerico ordines conferti debent etiam si Episcopus sciat, illum propter occultum crimen dispositionem mereri: Item a groto S. Eucharistia uigenter petenti parochus porrigere debet, etiam si sciat, illum audita eius confessione indispositum esse, multisque adhibitis monitionibus disponere non possit ad accipiendam absolutionem.

11 Parochus qui occultum matrimonii impedimentum extra S. confessionem cognouit, non debet ei assistere, quia assistentia matrimonii non est dispensatio sacramenti, sed officium testis; nemo autem testimonium præstare potest de actu, quem irritum esse nouit.

Si solus Episcopus ordinis accipiendi impedimentum

mentum cognouit, idque probare non potest, ordinationem homini denegare non potest.

Ad mortem damnatis Christianis S. Eucharistia *13*
per modum viatici negari non debet: Nam cui pœnitentia conceditur, neque viaticum negari debet, pridie tamen supplicii, vel eodem die etiam, horis aliquot ante sententiam mortis latam.

Corporalis macula, per se non impedit à digna sus- *14*
ceptione Eucharistiæ. Ratio, quia sola malitia peccati, quæ animi deformitas est, impedita digna sumptione huius sacramenti, corporalis autem immunditia per se continet materiam peccati, per accidens tamen potest esse venialis irreuerentia, si immundities facillè mox tolli possit, ita immundum corpore accedere, si autem duret v.c. immenstruata, consultum est ob reuerentiam sacramenti d fferre communionem, sed non peccat mulier etsi menstruata accedat.

Pollutionem passus, quamuis culpa sua post pœ- *15*
nitentiam communicare non prohibetur, quia pollutionis peccatum, sicut quoduis & aliud post legitimam pœnitentiam perinde se habet, ac si non fuisset, si tamen postea pollutionem etiam inuoluntariam malignus effectus commotæ carnis aut animi perturbati manet, consultum est eò die abstinere, sed non tenentur etiam ne quidem coniuges red dentes debitum spe precii excitandi aut necessitate coacti.

Mulier non obstante, quod communicare nolit, *16*
marito debitum coniugii exigenti, reddere debet, quia implet bonum opus, & ex iustitia debitum: Monenda tamen est vxor non ita frequenter communicans, vt roget maritum, vt abstineat ob hono-

rem festiuitatis, quod si verò timeatur rixa & offensa debitum reddere debet.

- 17 Sacram Eucharistiam à ieiunis sumendam esse apostolica traditio est, utpote à tempore Apostolorum obseruata. Christus autem post cœnam potexit S. Eucharistiam, quia secundum ritus veteris legis debebat tunc pascha celebrari: noluit autem legem & figuram præmittere, priusquam veritatem huius sacramenti instituerat. Verba autem Christi. Hoc facite, non continent præceptum faciendi omnia, quæ Christus tunc fecit, sed solum, quæ spectant ad substantiam & veritatem sacramenti, porò accidentales ritus & modum administrandi Ecclesiæ ordinandum reliquit.
- 18 Ieiunium, quod communicuro præcipitur, perfectum & naturale esse debet, adeo, ut etiam deglutitione chartæ nummi aurei, violetur. Ratio, quia ieiunium istud non ob temperantiæ virtutem, sed ob sacramenti reuerentiam institutum est, ut sacra hostia ante alia omnia in stomachum deueniat. Quod si quis inter eluendum os guttulas cum salina mixtas deglutiat, vel si iusculum degustauit, & illico reicit, & si guttas cum salina forte deglutiuerit, non censetur violatum ieiunium, item si reliquæ inter dentes hærentes casu deglutiantur, & non ex proposito.
- 19 Si modicum quid (liquoris) cum salina per guttas casu traiciatur non impedit S. Communionem, eò quod ita traiectum in parua quantitate non habeat rationem cibi aut potus aut medicina; casu dico non per se. Nam si ablutio, quæ tamen modica in nocte Natiuitatis in prima missa per se sumatur ab altero sacrificio celebrando impediatur, potest tamen celebrare etiam si paulo ante duodecimam no-

comederit, in nocte natiuitatis, etiamsi non dormierit nec cibus concoctus.

Certi casus sunt, quibus licitum est S. Eucharisti- 20
sumi à non ieiunis. Primò in articulo mortis, et-
iam ex iudicis sententia si is diutius expectare nolit.

NB. Maior affirmat, quod sacerdos, si non habe-
at hostiam ad communicandum infirmum moritu-
m, post meridiem priuatim consecrare possit, et-
iam panem fermentatum, dicendo sola verba con-
secrationis sine vestibus sacerdotalibus: sed alii DD.
communiter hæc negant: quia Ecclesiæ consuetudo
talia non permittit ob maximam huius sacramenti
excellenciam, quod vno modo ac ritu semper con-
fici & administrari plurimum interest. In raro ta-
men casu necessitatis, si infirmus moritutus aliud sa-
cramentum videlicet pœnitentię aut extremę vnctio-
nis suscipere nõ possit & scandalum cesserit, probabi-
le est iuxta Zambr. Non malè acturum sacerdotem,
si ob eiusmodi hominis communionem nõ ieiunus
sacrificet. Secundus casus si sacerdoti non ieiuno ne-
cessitas incumbat sacrificii perficiendi, quod accidit,
I. Si loco vini aquã hausit. II. Si alteri post ceptum Ca. 21
nonem in missa deficienti ad perficiendum, sacerdos
non ieiunus substitui debeat, quia ieiunus non ad-
est. Tertius est, si sacerdos post consecrationem re-
cordetur, se ieiunum non esse, debet progredi, imò
etiam ante cõsecrationem, quia fermè sacerdos ab-
stinere non potest sine nota, Ratio, quia vbi difficul-
tas occurrit, semper eligendum est id, quod minus
periculi habet.

Etiã post sumptam ablutionẽ licitum est sacer- 22
doti reliquias hostiarum à se consecratarum in altari

absumere. Ratio, quia eiusmodi reliquiarum absumptio refertur ad vnum idemq; sacrificium, quod plene absolutum non censetur, dum sacerdos in altari persistit.

Quod si S. Eucharistia incendio absumenda in manus sacrilegas infidelium deuentura potest sumi à non ieiuno.

- 23 Post sumptam Eucharistiam decens est, aliquamdiu à cibo & potu abstinere, sed id in præcepto non est. Etiam non licitum est tam statim expuere.

C A P. VII.

De ministro S. Eucharistiae.

- 1 Ordinaria potestas ministrandi S. Eucharistiam ex Christi institutione sacerdotibus solis competit ex Christi institutione. Nam soli sacerdotis ratione ordinationis suæ adeo ex officio priuatim habent super corpus Christi conficiendum, consequenter etiam dispensandum iuxta exemplum Christi prius sacram hostiam consecrantis, & postea discipulis dispensandis & adiicientis. Hoc facit in meam commemorationem.
- 2 Diaconi ex commissione sacerdotis olim S. Calicem dispensarunt, & nunc quoque potestas dispensandi sacrum Christi corpus in casu necessitatis eis potest v. c. in absentia sacerdotis, in mortis articulo.
- 3 Dispensatio S. Eucharistiae requirit in ministro iurisdictionem ordinariam vel delegatam. Ratio, quia dispensatio sacramentorum, præsertim huius, quo fideles spiritualiter pascuntur, est proprium munus pastoris, quod proinde nemo alius sine illius commissione usurpare debet: Excepto casu necessi-

necessitatis extremæ, quo omnibus sacerdotibus
etiam inuisis & alioquin non toleratis communi iu-
re licentia data est.

Regulares omnes incurrunt excommunicatio-
nem Papæ referuatam, si sine licentia parochi S. ex-
tremæ vnctionis vel Eucharistiæ subditis mini-
strent.

Regulares Mendicantes in suis templis etiam Pa-
schali tempore S. Eucharistiam ministrare possunt
nimirum, qui in parochia sua præcepto Ecclesiæ
de Paschali communione alias satisfacere parati
sunt.

NB. Si Religiosi intelligant, parochus nullo mo-
do esse contentos, vt tempore Paschali in templis
suis communicent, debent in Confessionibus Pa-
rochianis seuerè præcipere, vt in Parochia commu-
nicent, quod si verò religiosi habeant tacitum vel
presumptum consensum parochorum; possunt et-
iam tempore Paschali parochianos communicare.
Hoc notandum, quantum fieri potest, vt Religiosi
ipso die Resurrectionis à parochianis communi-
candis, cum ipsis eo die ministratio Ecclesiæ inter-
dicta sit, si parochi non consentiant.

Nemo sibi ipsi sacram Eucharistiam ministrare
debet extra necessitatis casum v. c. si aliquis Cleri-
cus seu Laicus in mortis articulo constitutus mini-
strum idoneum non habeat, à quo S. Eucharistiam
sumat, nihil obstare videtur, quominus seip-
sum communicare possit scanda-
lo cessante.



TRACTATUS V.

De Sacrificio Missæ.

CAP. I.

*De natura, proprietate & effectu sacrificij
nove legis.*

CVM sacrificium propriè dictum aliud non sit, quam oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei sensibilis in signum supremi super omnes res domini ex publica & legitima institutione, consequens, quod sicut in aliis sacrificiis, ita & in hoc debeat esse offerens seu sacerdos, qui est Christus Dominus, idem sacerdos & hostiâ offerens, & res oblata iuxta Trid. S. Aug. Cyprian. Sacerdos autem offerens ministerialis est, qui Christi personâ assumens ac representans profert verba consecrationis, quibus novæ legis sacrificium essentialiter perficitur, & per oblationem corporis & sanguinis Christi in cruentum, fructus eius sacrificii cruenti tanquâ generalis causæ & originis nostræ salutis nobis proximè & particulatim applicatur; Estq; fructus finitus, qui ex sacrificio incruento, tanquâ ex causa proxima hominibus re ipsa applicatur. Vnde hoc sacrificium repeti oportet, quandoquidem quotidie peccamus, & quotidie nobis nova indulgentia & gratia Dei opus est.

Sacerdos in Missa totius etiam Ecclesiæ Vicarius est & legatus ad Deum, orat enim sacerdos pro Papa, pro Antistite, pro Rege. Deinde pro omnibus Christi fidelibus viuis atque defunctis.

Ex

Ex sacrificio duplex fructus seu effectus provenit, 3
 unus est ex opere operato, quia infallibiliter conse-
 quitur ipso opere externo posito, dummodo in sus-
 cipiente nullus obex sit, propterea quod Christus
 merita passionis suę tali sensibili opere rite exhibito,
 speciali voluntate sua annexerit, ex pacto cum Deo
 Patre inito, & proinde talis effectus ex iustitia de-
 beat ac certo & infallibiliter conferens indepen-
 dentem à dispositione aut dignitate ministri. Alter ef-
 fectus est per modum impetrationis, partim ex digni-
 tate & apud Deum patrem gratia ipsius Christi in cuius
 nomine offertur, partim ex dignitate dispositione ac
 meritis de congruo, tunc proximè offerētis seu ministri
 cum etiā totius Ecclesię sanctę cuius ille legatū agit.

Sacrificium missę verè propitiatorium est ex opere 4
 operato conferēs remissionem peccatorum; prius pa-
 ter ex verbis Christi, Luc. 22. Posterius probatur,
 quia Christus peculiari ratione instituit hoc sacrifi-
 cium in peccatorum remissionem: Christi autē insti-
 tutio efficax est, & voluntas eius operatoria. E-
 go certus fructus propitiationis ex sensibili sacrifi-
 cii opere secundum subiecti capacitatem, consequitur. Secundo,
 quia est communis fidelium persuasio fructum propi-
 tiationis huius sacrificii seu pro vivis s. u. pro defun-
 ctis offeratur, non pendere ex bonitate aut digni-
 tate ministri seu proximè offerentis.

Sacrificium missę non habet vim gratiam iustifi-
 cantem immediatè conferēdi his, pro quibus offer-
 tur (quia hæc virtus propria sacramentorum est ve-
 ritate applicacione hominē suscipientē sanctificent)
 sed solum mediatè per gratiam prævenientem & ex-
 citantem homines pio aliquo motu ad pœnitenti-
 am: Præcipuus fructus autem huius sacrificii est sa-

V.
 rificij
 id non sit,
 atationem
 emi super
 a institu-
 ficis, ita
 s, qui est
 iā offerēs,
 Sacerdos
 i personā
 assecratio-
 liter per
 nis Chri-
 ti tanquā
 obis pro-
 xus fini-
 ula pro-
 oc sacri-
 quotidie
 gentia &
 Vicarius
 pro Pa-
 o omni-
 Ex

risfactionis pro peccatis eorum, quibus applicatur, quamuis id nesciunt, dummodo capaces sint.

- 6 Sacrificium missæ utile est ad delenda peccata venialia iuris, qui pro se offerunt aut offerre postulant, idque per modum impetrationis modo dispositi sint: tunc enim habent voluntatem repugnantem venialibus culpis, & oratio per Christum Deo patri oblata efficax est ad impetrandum eumque propitium nobis reddendum; siquidem sacrificium hoc imprimis præstans & utile est ad remissionem peccatorum, quæ quotidie committimus videlicet venialium.
- 7 Probabile est sacrificium nouæ legis habere infalibilem effectum gratiæ præuenientis excitantisque peccatores ad pœnitentiam, iustos verò, pro quibus offertur ad maiorem perfectionem, quia Christus sacrificio huic incruento simpliciter & absolute tribuit virtutem remissionis peccatorum, Matth. 26. quod sine ne. essitate non ad solam remissionem pœnæ restringendum, sed etiam culpæ, non quidem mediatam sed interueniente pro aliquo motu pœnitentiæ per gratiam præuenientem.
- 8 Per sacrificium Missæ varia dona & beneficia Dei impetrari possunt; Quandoquidem orationibus nostris quibuscunque sanctè ac Deum fuis, tum nobis ipsis, tum aliis hominibus varia beneficia, multò certius & perfectius assequi possumus, si preces & desideria (in persona Christi & Ecclesiæ, in qua multi iusti, effusa) annexa & subnixa sunt hostiæ Deo patri gratissimæ, quæ suo prete valore & dignitate quodcunque nobis impetrare potens est. Quod vero interdum non consequamur, quod volumus adeoque effectus impetrationis ex sacrificio

infal-

infallibilis non sit: Causa est, quia non habemus de ea re promissionem Dei absolutam, sed tantum conditionatam, si nobis quod rectè petimus secundum divinæ providentiæ rationem dari expediat; Credibile tamen est nunquam petitionem præsertim eam, quæ sacrificio adiungitur omni fructu carere, quia etsi non impetratur, quod petitur, aliud tamen confertur, quod vtilius ac melius esse Deus iudicat.

Sacrificium missæ ex natura sua, siue secundum primam & remotam potentiam spectatum habet, quidem in finitam dignitatem & valorem impetrandi, tum ratione rei oblatæ, tum ratione primarii offerentis, qui est Christus Dominus propter unionem hypostaticam infinite dignus: At tamen spectatum hoc sacrificium secundum proximam potentiam, quam habet ex Christi institutione & voluntate non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed semper finitum & limitatum, tam intensiue, quam extensiue. Nam quod attinet ad finitam intensiorem, tamen si Christi merita & dignitas infinita sint, secundum sufficientem & actum primum; tamen secundum applicationem & actum secundum semper effectus finitus promanat per sacrificium & sacramenta veluti instrumenta à Christo instituta. Quod verò attinet ad finitam extensiorem, quæ in eo consistit, quod fructus sacrificii applicatus pluribus non multiplicetur, & augetur in infinitum, sed in singulis dividatur ac minuatur optimè probatur ex sensu & praxi Ecclesiæ. Nam & sacerdotes præcipuum sacrificii fructum, qui prouenit, quatenus ex Christi persona offertur sæpe vni soli applicare solent, & fideles hoc ipsum

desiderare atq; oblata sæpe exigere, quod non rectè & sapienter facerent, si sacrificium oblatum pro pluribus tantumdem fructus conferret singulis, quam si pro vno solo offerretur.

10 Vna eademq; oratio plus impetrat alicui si pro eo solo fiat, quàm si pro pluribus, propterea quod postulatio debeat habere proportionem cum re postulata, ideoq; non æque impetret rem difficilem atq; facile, maiorem & minorem. Atqui sacerdotis oratio, quatenus fit ad Deum patrem offerendo in persona Christi vnica tantum est in vno sacrificio. Nam effectus impetrationis oblationi seu sacrificio infallibiliter annexus non est, neq; ex institutione Christi aut promissione determinatus: Quin imò sacrificium applicatur & determinatur ad impetrandum ab intentione & voluntate ministri, ut proinde mirum non sit effectum impetrationis finitum ac limitatum esse.

11 Sacrificium quod impetrationem beneficiorum habet aliquo modo infinitam virtutem syncategorematicè quatenus fructus, qui per modum impetrationis prouenit, tum ratione deuotionis, tum ratione multitudinis priuatorum offerentium magis ac magis crescere potest. Prob ex communi fidelium persuasione, si plures missam audiendo sacrificium Deo patri offerant, non minorem fructum exinde referre singulos, quam si soli essent, propter ea, quod priuatæ eiusmodi oblationes distinctæ sint, ideoq; eis distincti effectus respondeant. Communis item & vera fidelium persuasio est, etsi sacerdos pro certa persona missæ sacrificium offerre debeat, nihil tamen ipsi decedere, si in memento in propria persona & ex priuata deuotione idem sacrificium pro se ipso & aliis pluribus personis distinctis actionibus siue petitionibus offerat: cum enim ha-

obla-

oblationes diuersæ & repetitæ sint, quarum nulla alteram impendit, ideo singulis tantundem fructus impetrare possunt, quàm si vna sola pro vna persona fieret.

Missæ mali sacerdotis æquè utilis est, quæ ad fructû 1 2 eius principalè, qui est ex opere operato seu per modum impetrationis, quatenus in Christi persona offertur, utpote non pendens à dispositione aut bonitate ministri; Quatenus verò sacerdos offert, ut privata persona fructus impetrationis prouenit tum sibi, tum aliis, quibus eum applicat secundum dispositionem ac deuotionem eiusdem proinde, quo magis dispositus est, eo plus gratiæ & gloriæ apud Deum sibi mereatur, plus etiam tum sibi, tum aliis impetret & pro peccatis satisfaciatur. At verò si malè dispositus & indignus offerat, infructuosa est eius oblatio etiã secundum vim impetrandi iuxta Ioh. 19. *Scimus quia peccatores Deus non exaudit*, si nimirum id intelligatur de peccatore formaliter videlicet, qui oratio peccat, siue cuius oratio execrabilis est, ut dicitur Prov. 28,

Sacerdos qui à pluribus sufficientem stipem accipit, non satisfaciatur pro omnibus vnã missam dicendo, quamuis contrariũ doceant Caiet. Nav. Can. Vasq. 1 3

NB. Quod si sacrificium postulantes non integrũ stipendium iustum sed partem tantum præbeant, non posse eos iniquo animo ferre, si Sacerdos non pro singulis seorsim, sed pro pluribus coniunctim secundum proportionem stipendii accepti offerat. Iustum autem stipendium censeretur, quod vel lex vel consuetudo loci taxauit, si autè taxatũ non est, sufficit dando mediam vel tertiam partem sustentationis pro vno die eò quod solũ vna hora impèdatur sacrificio; Reliquũ verò tẽporis diei aliis officiis impèdere

dere

dere potest, quamuis etiam plus liberaliter efferi possit.

NB. Sacerdos Parochus cui largius stipendium confertur pro Missa, potest obligationi per alium satisfacere, dato ipsi stipendio sufficienti (consueto) reliquo sibi retento. Nam hæc censetur mens esse fidelium, quod pluribus obligationibus suis vel per se vel per alium satisfacere possit.

- 14 Si stipendium alteri sacerdoti, præter Parochum detur, pro Missa debet vel ipsemet celebrare, vel si alterum substituere velit totum ei stipendium relinquere; alioquin iniuriam infert, si partem sibi retineat: Ratio partim quia maior elemosyna data sacrificandi censetur *Maiores cooperatio* ad sacrificium, ex quo maior fructus danti proueniat; partim quia etiam sacrificans, beneficii magnitudine motus maiorem deuotionem adhibet, ideoque plus benefactori impetrat.

Quod si sacrificans sponte in se suscipiat obligationem sacrificandi parte stipendii condonata nemini iniuria fiet, NB, Sacerdos differens diu missam pro qua stipendium accepit sine causa potest peccare, mortaliter eum interea magno spiritali fructu priuentur ii, quorum debitor est.

- 15 Sacerdos qui stipendium accepit plerunque missam celebrare debet eam, & in eo altari, sicuti offerens petiuit. Eò quòd & specialem offerentis deuotionem, nec non specialis missæ orationis maior fructus impetrationis ad propositam finem prouenire soleat.

- 16 In festis vel dominicis ob iustam causam dici potest missa votiuæ vel pro defunctis.

CAP. II.

Pro quibus sacrificium offerre liceat, & quis fructus ipsis inde proueniat.

Sacrificium nouæ legis latreuticum est, quatenus 1
 offertur ad colendum Deum: Eucharisticum,
 quia fit in gratiarum actionem pro beneficio passio-
 nis dominicæ: impetratorium, quia per Christum
 Deo patri oblatum facile nos quiduis impetraturos
 speramus: propitiatorium pro peccatis mortuorum
 & uiuorum.

Sacrificium nouæ legis omnia veteris legis sacri- 2
 ficia præstantiore virtute continet: Est enim holo-
 caustum pro peccato & propitiatorium.

Sacerdos in Missa triplicem personam sustinet: 3
 Christi, Ecclesiæ, ut legatus, & priuati non solum in
 Memento, sed etiam in tota sacrificii actione. Nam
 sicut alia omnia bona opera iustorum triplicem vir-
 tutem habent merendi, satisfaciendi & impetrandi,
 ita & publicæ orationes & sacrificium, cum sint a-
 ctus virtutis Religionis. In primis enim minister,
 si iustus sit, ex condigno sibi meretur gratiam & glo-
 riam; Secundò, si satisfacit pro peccatis suis, præser-
 tim, si hunc etiam finem intendat, potestque hunc
 fructum satisfactionis ex opere operantis alteri quo-
 que applicare. Tertio, propriâ intentione & affe-
 ctu impetrare potest à Deo varia beneficia tum sibi,
 tum aliis.

Pro sanctis in cælo offertur sacrificium Missæ, 4
 quatenus est laudis, & gratiarum actionis, quia dum
 Deo sacrificamus, laudamus eum & gratias ei agi-
 mus pro sanctorum victoria, meritis & gloria, eo-
 rumque deprecatione, preces nostras exaudiri petimus.

Sacri-

- 5 Sacrificium Missæ recte ac salubriter offertur pro defunctis animabus ad remissionem pœnæ, tum per modum interpretationis, tum ex opere operato ipsi consequendam, patet ex Concil. Trid. Ratio est, Cum animæ in purgatorio sint vera & viua membra Ecclesiæ atq; capacia fructus sacrificii propitiatorii, non est ratio, cur non equè ipsis atq; aliis hominibus viuis applicari possit, non solum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato, quandoquidè utroq; modo fructus provenire solet per solâ intentionem & applicationem omnino extrinsecam Non ita verò in sacramentis, quippe in quibus requiritur, ut actio sensibilis circa suscipientes exerceatur, quæ ipsa discriminis ratio est, cur fructus sacrificii nõ item sacramentorum fidelibus defunctis applicari possit.
- 6 Pro omnibus viuentibus sacrificium missæ vultur offerri potest, quatenus sacerdos Christi personam repræsentat. Nam sacrificium incruentum cum sit repræsentatiuum mortis dominicæ & fructus illius quam maxime applicatiuum pro omnibus offerri potest, pro quibus Christus mortuus est, tales autem sunt omnes homines viuentes in hac terra. Ergo quod argumentum sumptum ex Apostolo. 1. Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus hominibus.*
- 7 Quatenus sacerdos personam Christi geret etiam pro excommunicatis non toleratis sacrificia applicando eius fructum impetrationis vel etiam satisfactionis si capaces sint: Ratio, quia potestas consecranda & offerendi pro quibuscunq; viuis atq; defunctis, quatenus ii capaces sunt est annexa ordini ex Christi institutione, quare Ecclesia licet prohibere possit, quominus pro excommunicatis validè & fructuosè dicantur

dicantur suffragia publica missæ, quippe in quibus
dicendis minister vices Ecclesiæ gerit, tamen prohibe-
re non potest, quominus Consecrando in perso-
na Christi, siue vt minister Christi fructum princi-
palem sacrificii validè applicet, cuiusq; velit: Gra-
uiter tamen sacerdoti prohibitum est, in c. à nobis
vt pro excommunicatis non toleratis Missæ sacrifi-
cium non offerat.

Pro Catechumenis viuis ac defunctis sacrificium 8
offerri potest. vt iis prosit, saltem per modum impe-
trationis. Nam Catechumeni aliquo modo sunt
membra Christi per fidem saltem voto, & desiderio.

Pro infidelibus Iudæis ac Paganis sacrificium re- 9
ste offertur, quatenus est impetratorium, vt ad fidē
veram conuertantur, patet ex Apost. 1. Tim. 2. Et in
vereri lege Iudæi etiam pro gentilibus sacrificare so-
liti sunt, 1. Esdræ 6. pro salute Darii Lib. 2. Mac. ab.
3. pro salute Heliodori.

Missæ olim distirguebatur in duas partes, quarū 10
vna Catechumenorum dicebatur, & altera fidelium,
quæ constabat oblatione consecratione & sumptio-
ne à qua Catechumeni repellebantur.

Fructus ex opere operato in sacrificio Missæ illi 11
prouenit, cui minister intendit, si capax sit. Ratio,
quia sacerdos ex vi ordinationis constitutus est à
Christo minister ac dispensator Mysteriorum ac do-
norū Dei, sicut indicat forma verborū, quibus sacer-
dos ordinatur. Accipe potestatem offerēdi sacrificiū
pro viuis atq; defunctis. Vnde colligitur; Licet sacer-
dos illicite alicui applicet contra iustitiæ aut obediē-
tiæ virtutem, quia v. c. parochus, ratione beneficii sui
ob prælati præceptū deberet pro alio offerre, nihilo-
minus

ex opere operato prouenturum ei cui sacerdos vult curri hæc applicatio sit actus potestatis ordinis, quæ ex aliena potestate non dependet.

- 12 Sacerdos fructum sacrificii qui ex opere operato est, ante vel in ipsa consecratione alicui applicare potest. Nam alioquin fructus à eam postea applicare conabitur; Quemadmodum enim sacramenta puta Baptismus, Confirmatio, ita & sacrificia effectum suum ex opere operato dependenter à ministri intentione producant, dum conficiuntur & actu existunt. Quare non est in potestate ministri effectum suspendere velle, & postea alicui applicare.
- 13 Fructus sacrificii non potest alicui valde applicari sub conditione in futurum contingente v.c. Offero pro illo, qui primus mihi stipem dedit, vel qui proximus ex hac communitate morituros fuerit; Est enim contra praxin Ecclesiæ, & ad effectum sacramentorum eo sacrificii requiritur intentio ministri absoluta & independens ab euentu contingente in futurum v.c. inualide baptizatur homo sub conditione si à fide susceptus defecturus non est; secus dicendum si conditio præterit, aut præsentem tempore impleta est: Nam secundum eam sacramentorum & sacrificii effectus rectè ac fructuose alicui confertur v.c. Baptizo te, si homines, offero sacrificium pro eo, qui ex tali numero benefactorum mortuus est.
- 14 Non est recta intentio applicandi sacrificii fructum illi homini, quem Deus scit ex hac communitate v.c. morituros esse. Nam secundum ordinariam Dei legem vt Ecclesia nobis testatur: Deus non solet, vel homines punire, aut præmio afficere,

gratiam sacramentorum eisdem conferre secundum præscientiam futurorum contingentium ac liberorum effectuum: sed secundum præsentem duntaxat hominum statum ac conditionem; siquidem magis congruere videtur diuinæ prouidentiae & diuinae gubernationi, quæ omnimodè se creaturarum naturis accommodat.

Mos celebrandi uti in Lotharingia Requiem non videtur commendabilis v. c. si quis pro se dum adhuc uiuit sinat celebrare Requiem, quia est contra intentionem Ecclesiæ, quæ est, ut officium funebre celebratur pro mortuis.

Sacerdos in persona Ecclesiæ præcipuè offert & applicat pro membris Ecclesiæ, utpote cuius intentio illa est, secundariò verò etiam pro aliis v. c. Catechumenis, post, infidelibus.

Sacerdos ut priuata persona videlicet in *Memento* pro omnibus sacrificium offerre potest. Ratio, quia talis oratio & oblatio sit propria actio ipsius sacerdotis, merito eiusdem arbitrio permittitur, neque Ecclesiæ prohibetur.

Fructus aliquis sacrificii, quatenus in Christi persona offertur, ipsi offerendi proprius est, alteri non applicabilis, unde fructus specialissimus appellari solet: Nam hæc est conditio effectus ex opere operato, ut sit veluti beneficium personale, proueniens tantum, cui datum est. Est autem valde credibile & communiter receptum, Christum instituisse sacrificium ita, ut aliquis eius fructus certò & ex opere operato proueniat sacrificanti & probabiliter etiam illis offerentibus.

De obligatione sacrificandi.

- 1 **S**acerdos etsi curam animarum non habeat, mortaliter peccare videtur, nisi aliquoties in anno sacrificet v. c. ter vel quater, quia sacrificium pertinet ad offerendum Deo, ad quod quilibet sacerdos obligatur ratione ordinationis suæ, quippe in quo non tantum potestatem, sed etiam officium seu munus sacrificandi suscipit, contraria tamen sententia est grauium authorum S. Bonaventuræ, Hallensii, Victoris; simplicem sacerdotem cessante scandalo & contemptu non obligari sub culpa mortali ad sacrificandum, dummodo sacram communionem cum laicis in Paschate sumat, quia nullius præcepti diuini aut humani obligatio satis ostendi potest, & sanctos quosdam viros ob humilitatem à sacrificando abstinuisse legimus.
- 2 Sacerdos curatus frequenter toties scilicet, quoties subditi sacrum audire tenentur, obligatus est ad sacrificandum vel alium substituendum. Nam ideo Parochi à fidelibus oblationes & decimas accipiunt, quia ipsis dispensare debent ea, quæ ad salutem necessaria sunt.
- 3 Parochus ex officio non videtur esse obligatus ad sacrificandum pro parochianis suis: Ratio, quia beneficia curata propriè instituta sunt ad pascendum populum verborum & sacramentorum ministracione; non item ad sacrificandum pro illo. Quandoquidem id per se non pertinet ad spirituales pastum ouium commissarum, æquiritamen ratio postulat, vt parochi pro suis subditis frequenter intra & extra sacrificium supplicent.

Si

Si Parochianus offerat stipem pro sacrificio eius
sui, quo scit Parochum sacrificare obligatum esse
sua intentione, contentus esse censetur obligatione
secundaria, ne alioquin aliam parochiam accedere
rogatur.

In Ecclesiis Cathedralibus collegiatis & conven-
tibus quotidie sacrificium celebrari debet.

NB. Numerum missarum vel anniuersariorum
diminuere ob casum necessitatis ad Episcopum, vel
Ordinis Prælatum pertinet, ita tamen vt eorum o-
mnium defunctorum, qui pro tuarum animarum
salute aliquid reliquerunt, commemoratio fiat, id
est collecta aliqua interponatur.

Capellanus ex officio obligatur ad eum missarum
numerum, quem literæ foundationis requirunt: Ex-
cepto nisi reditus sint distracti, vt Aschaffenburgi.

NB. Refert vt ùm obligatio sacrificii quoridia-
ni loco an personæ à fundatore imposita fuerit.

NB. Præterea in quibusdam Ecclesiis consuetudo
est, ut Capellanis, quibus quotidiani sacrificii obli-
gatio incumbit vnum vacationis diem in hebdo-
mada largiri, eo quòd ob humanam fragilitatem sa-
cerdotes præsertim seculares, omnibus omnino die-
bus ad sacrificandum dispositi non sint.

Si iustum impedimentum, v.c. infirmitas breui
tempore, vnâ vel alterâ septimanâ, duraturâ sit, non
debetur obligatus Capellanus, vt alium sacrifician-
tem substituat. Nam etiam hæretus, tamen si iure
iurandi possit de mercede famuli propter e-
ius ægrotudinem, si tamen pius & benignus sit,
non facile detrahere solet. Si autem ægrotudo
longius duret, tunc Vicarius Sacellano statuen-
dus est, ne ligno tempore Ecclesia & Fundator

spirituali fructu priuentur. Quod limita; Nisi stipendium tenue sit & alendo infirmo Capellano necessarium: siquidem etiam dominus famulo ægro-
tanti necessaria alimenta præstare debet.

- 3 Consuetum est sacerdotibus, vt quotidie sacrificent exemplum S. Andree, diciturque deo iuge sacrificium. Quod si tamen sacerdos non bene dispositum se sentiat, melius est ob sacramenti reuerentiam quandoque à sacrificando abstinere.

C A P. IV.

De tempore quo sacrificare licet vel non licet.

- 1 **C**omuni iure licitum non est, ante auroram sacrificare, neque post meridiem: Ratio, quia nocturnum tempus non ita idoneum est, vt populus cum tanta reuerentia interesse possit, sicut tempore diurno.
- 2 In die Natalis Domini omnes tres missas ante auroram celebrare licet.
- 3 Episcopus ob causam dispensare potest, vt ante auroram, vel post meridiem celebrare licet.
- NB. Consuetudo in his partibus septentrionalibus tribus vel quatuor horis ante Solis ortum Missam inchoandi, non debet reprehendi, quia in his regionibus in hyeme Sol serò oritur.
- 4 Ob causam necessitatis licitum est post meridiem celebrare, ne infirmus sine viatico decedat propter Principis funus, propter publicam concionem festo die vsque ad meridiem perductam; Imò ex quacunque iusta occasione potest Missa paulo post meridiem vno vel altero quadrante inchoari, quia huiusmodi

modi res morales moraliter & non mathematicè accipi debent.

Non est peccatum mortale celebrari missam ante festas matutinas, si autem causa ita celebrandi libit, nullum peccatum est. Etsi enim oporteat Matutinum cum laudibus ante Missam recitare, tum cuiusdam præparationis causa, tum quia Matutinum ad noctem pertinet, Missa ad diem; tamen ad ritum seu ordinem tantum accidentalem, atque missæ valde extrinsecum spectat, ut gravem obligationem continere non possit per se loquendo.

Eodem die non est licitum bis celebrare: Excepto Natali Domini & si casus necessitatis postulet, ut ne moriturus sine viatico decedat, quia non ad hostiam consecrata; Item ne populus die festo missam prioretur: puta quia Parochus cooperatore carens, duabus parochiis præest, etiam tribus, si tres parochias, ob aduentum principis, quoad missam bis celebrandam in duabus parochiis eodem festo, consideranda est consuetudo cuiusque diæcesis, ne contra eam aliquid insolitum & sine graui necessitate fiat.

NB. Nemo tenetur tres Missas in Natali Domini celebrare, sed sufficit spectata obligatione iuris communis, si vna ex illis tribus legatur vel audiatur.

Feriâ sextâ hebdomadæ sanctæ sacrificium Missæ non celebratur: Ratio, quia Ecclesia colit & exhibet realem passionem & cruentum sacrificiû Christi; Ideo non repræsentat mysticè, seu non immolat cruentè. Potest tamen eo die populus communicari.

In Sabbatho sancto plerique sacerdotes abstinent à celebratione priuata. Nam Ecclesia toto illo

Tit 3 die

die in ieiunio, luctu & representatione mortis dominicæ perseverabat.

- 9 Feria quinta hebdomadæ sanctæ licitum est sacerdotibus celebrare. Nam nullo id iure prohibitum reperitur, estque consuetudo, ut sacerdotes alii ex deuotione ad representationem Apostolorum communicent.

C A P. V.

Quo in loco sacrificium sit celebrandum.

- 1 **I**ure communi missa celebrari non debet nisi in locis ab Episcopo consecratis, vel saltem benedictis, & ad officia diuina deputatis.

NB. Sotus vult & Sa non esse mortale, si scandalum & contemptus absit, in quouis honesto loco super altari sacro celebrari: sed ab aliis merito reuocatur, cum præceptum illud ob tanti sacramenti reuerentiam versetur circa rem grauem, ideoque eius transgressori pœna depositionis decreta sit.

- 2 Oratoria, quæ neque consecrata, neque benedicta sunt, non videntur violari aut reconciliatione aliqua indigere.
- 3 In casu necessitatis extra Ecclesiam super altari portatili sacrificari potest v.c. si Ecclesia directa in conuentu magni populi, quem Ecclesia non capit, in bello pro exercitu in longa peregrinatione per loca infidelium.
- 4 Episcopus facultatem dare potest in priuato oratorio ad diuinum duntaxat cultum destinato missam celebrandi, saluo tamen iure parochialis Ecclesiæ, quod attinet ad sacramentorum administrationem.
- 5 Per priuilegia sedis Apostolicæ in loco non consecrato

Secundo nec benedicto sacrificium fieri potest, quia habent Patres Societatis Iesu.

In mari vel flumine sacrificari illicitum non est, si periculum cesserit, sacri sanguinis effundendi quod solent Lusitani praticare.

NB. Est mortale celebrari in Ecclesia polluta.

Quinq; modis Ecclesia violatur, vt in ea missam celebrare non liceat. Primò, incuriosa sanguinis effusione, non in turri tecto, vt spelunca, sed in Ecclesia, licet vulnerans extra stet. Secundò, iniurioso homicidio, illicita esse humani seminis effusione excommunicati non tolerati vel denique non baptizati hominis sepultura.

Factum per quod Ecclesiæ vel altaris violatio incutitur Notorium esse debet, & iniuria debet esse mortalis, deinde non sanguinis aliquæ guttæ ex nobis, sed tanta copia, vt possit dici effusio, imò liber effusio copiosa, tamen si percussio non grauis, Ecclesia non violatur.

NB. Ecclesia violatur strangulatione & per sententiam mortis latam in ea Ecclesia ab Episcopo excommunicato, etiam hæretico validè consecratur.

Sacristia, & Camera, quæ sunt custodia vasorum & restium non videntur violari sicut Ecclesia, quia paries intermedius facit locum separatum ab altero.

Violatâ Ecclesiâ etiam cæmeterium violatû censetur. Nam quod principale est, trahit ad se accessoriû: Contra verò violato Cæmeterio non Ecclesia violatur, ne, quod minus dignum est, maius aut accessorium principale ad se trahere videatur.

Si Ecclesia consecrata violetur, solus Episcopus reconciliat, benedictam etiam simplex sacerdos; vtq; sentiendum de Cæmeterio.

13 Ecclesia polluta non reconciliatur per solum missæ sacrificium, quod bona fide in ea celebratur, quia si celebratio missæ instar reconciliationis esse debet, idem dicendum erit, tamen si sacerdos mala fide in Ecclesia polluta celebret, quod plane falsum est.

NB. Licet Ecclesia per capturam rei fugientis ad eam non violetur, tamen à sacerdote iussu Episcopi aqua exorzizata reconciliari debet; Idem dicendum de Ecclesiis Catholicorum, in quibus hæretici sua exercitia aliquandiu habuerunt, & corpora non denunciatorum sepulta.

14 Si Catholici Ecclesiam talem recipiant, in qua hæreticorum Exercitia viguerunt, opus non est, eam solemniter ab Episcopo reconciliari: Ante visitationem tamen Episcopi utendum est portatili in tali Ecclesia.

15 Ecclesia consecrata execratur, si eius parietes incendio aut ruina simul destruuntur.

16 Ecclesia successivè reparata non est denuò consecranda: Probat, quia moraliter censetur eadem Ecclesia. Deinde si hodie vnus paries destructus sit, & intra octo dies reparatus novus paries accessione ad totum sacrabitur. Nam sacrum si maius sit trahit ad se non sacrum.

17 Pollutâ Ecclesiâ polluuntur etiam altaria omnia, quæ in ea fixa sunt sed Ecclesiâ execratâ non ideo etiam altaria execrantur. Sicut & vice versa, altare per effractionem enormem execratur seu consecrationem amittit sine execratione ipsius Ecclesie.



C A P. VI.

De Ara, sacris Vasis & Vestibus.

Altare in quo sacrificium peragitur lapideum esse debet propter durabiliorem & firmiorem materiam: In primitiua Ecclesia in ligneis altari- bus consecrabant, satis verò est, vt superior ea pars super quam calix cum patena ponitur, lapidea & consecrata sit.

Summus Pontifex sacerdoti simplici committe- re potest facultatem altaria consecrandi, vti facit Religiosis in Indiam proficiscentibus.

Duplex est altare, vnum mobile seu portatile, al- terum fixum seu stabile. Quare hoc consecratio- nem amittit, per amotionem à structura: Non item alterum per amotionem à ligno execratur.

Tam portatile, quam fixum altare consecratio- nem amittit per notabilem fractionem, quæ cense- ri solet, si in nulla altaris parte calix cum patera con- sultere possit. Idemque sentiendum de aliis rebus benedictis, calice, sacris vestibus.

Dictum illud, *Non sacrum accessione ad sacrum, effi- citur sacrum*, potius locum habet in liquoribus.

NB. Alba v.c. benedictionem amittit, si per fractionem inepta sit ad sacrum suum vsum, vel si cingulum ita frangatur, vt neutra eius pars ad cin- gendum sufficiat, si tamen ante plenam separatio- nem reficiatur & partes connectuntur, seruetur consecratio.

Non amittitur consecratio calicis per solam sepa- rationem pedis à cuppa in calice tornatili, quia sola cuppa in calice tornatili per se consecratur. Alia ratio est de calicibus, qui pedem amobile non habent.

Ttt 5 Pro-

- 7 Probabile est calicem non execrari noua inuentione secundum superficiem interiorem, cum enim forma calicis permaneat, non videtur consecratio amitti, quemadmodum neq; Ecclesiae consecratio perditur, si muri denuo dealbentur. Honestum tamen est, ut post profanarum manuum contractum, & nouae materiae appositionem calix aqua benedicta prius lauetur, quam ad sacrificandum adhibeatur.
- 8 Valde conueniens, licet non simpliciter necessarium est, ut in quolibet altari sacrae reliquiae sint.
- 9 Si altaris sigillum seu locus in quo sacrae reliquiae sunt, notabiliter frangatur, altari iterum conseruari oportet, cum sigillum hoc censeatur praecipua pars mensae, merito ob cuius fractionem vel amotionem ipsa mensa, siue lapis notabiliter contractus seu diminutus aestimatur.
- 10 Altare, Calix, Patina, Corporale polluuntur per humani seminis, aut sanguinis effusionem, ut reconciliari debeant: quod si verò ad communem usum adhibeantur, non violantur, sed simplici benedictione reconciliare decens est.
- 11 Sacrae vestes, quibus sacerdos in missa utitur benedictae esse debent, & pallae parte interiori debent esse lineae cum sint pars corporalis, mappa etiam duplex corporale subiecta esse debet.
- 12 Calix & patina ex materia aurea, argentea, vel stannea esse debent, non ex ligno, vitro, ferro, &c. pes etiam potest esse ex plumbo aut cupro.
- NB. Calix & patina debent benedici & Chrismate inungi ab Episcopo; Religiosi societatis in Indiam proficiscentes ex priuilegiis papali possunt benedicere. Calicis purificatorium ex lino debet esse bene-

benedictum, lumen etiam requiritur, etiam ex sauo
vnum, si aliud haberi non possit: preces ante missam
obligant sub veniali.

Ministrum altaris, qui sacerdoti respondeat, & 13
vice ipsos porrigat, marem non sceminam esse oportet: sanctimoniales tamen ex loco remoto responde-
re possunt, & consuetudo obtinet, vt parochi in pa-
gis sine ministro respondente celebrent.

Vestes sacrae quibus sacrificans indutus esse debet 14
sunt amictus, Alba, Cingulū, Manipulus, Stola, Ca-
sula. Cingulū debet esse benedictum etiā sicut alia.

Vestes & sacra vasa oportet esse munda, & si neg- 15
ligentia sit à parte sacerdotis non mundantis, erit
mortale.

Sacrificans nudo capite esse debet. 16

Si aliquid ex requisitis ad sacrificium celebran- 17
dum desit, attendere oportet; hinc quidem quan-
topere id requiratur ad sacrificii celebritatem; hinc
verò quanta sit celebrandi necessitas. Nam sine ve-
stibus sacris non licet celebrare; Excepto casu gra-
uissimæ necessitatis, puta ob mortis periculum; Idē
dicendum de aliis, sine missali tamen si quis constan-
tissima memoria polleat, quis in casu aliquo celebra-
re poterit, si scandalum absit, & si magna sit cele-
brandi necessitas v. c. si populus cum scandalo dimitti
deberet, posset celebrare sine stola, vel manipulo:
sine magna autem necessitate non licet sine his ce-
lebrare. Nam eo casu quo missa ritè ac decenter ce-
lebrari non potest, cessat obligatio legis de sacro fa-
ciendo, vel audiendo.

Sacerdos non debet populum benedicere, si ce- 18
lebrat coram Romanæ sedis Cardinali, vel coram
Episcopo, nisi is annuat seu licentiam det.

Sacra

19 Sacra vasa, in quibus continetur corpus Christi, tangere Laico est mortale; si vacua est, veniale, si contemptus absit, etiam in sanctimonialibus corporalia & purificatoria prius leuiter lauari debent à Diacono antequam sanctimonialibus aut virginibus dantur iterum lauanda.

NB. In Minoribus ordinibus constituti non audent attingere sacra vasa, propter praxin Ecclesiarum & communem DD. sententiam.

20 Vestes & Pallas benedictas, quæ nec chrismate unctæ sunt, neque sacrum Christi corpus immediate contingunt cum reuerentia etiam laicis contingere permissum est. Lacerata tamen & vetustate absumpta igni debent absumi, & non ad profanos vsus adhiberi.

21 Sacras reliquias cum reuerentia tangere laicis non est licitum.

22 Decens est, vt sacræ pixides & ciboria benedicantur, quamuis id non in omnibus Ecclesiis vsitatum sit.

C A P. VII.

An eò quibus casibus sacrificium missæ interrumpere vel imperfectum relinquere licitum sit.

1 **N**Unquam licitum est directa intentione accedere ad consecrandum solum panem sine consecratione vini; Est enim contra Christi institutionem, sacrificium mutilum reddere, vnde sacrilegium. Quod si tamen in aliquo casu hostes hæretici ingruant ad occidendum sacrificantem in altari, potest is hostiam iam consecratam statim sumere, si ad con-

ad consecrandum calicem sine euidenti mortis periculo pergere non possit, quia tunc directè & ex proposito non mutilat sacrificium, sed permittit eius imperfectionem, seu omittit illud perficere, cum præceptum affirmatiuum in tali casu necessitatis nõ obliget. Sumptio etiam est de essentia sacrificii, unde non intermittenda.

Sacrificium cæptum interrumpere non est licitum nisi in quibusdam casibus. Primò, Sacerdos recordetur se ieiunium non esse ante canonem aut irrog. aut excom. Secundò, si excommunicatus non toleratus missæ interesse præsumat, qui expelli nequeat. Tertiò, si morbus cogat sacrificium interrumpere, vel alia grauis necessitas, quo casu si consecratio facta fuit, debet alius sacerdos substitui, si prior redire, & sacrificium persequi non possit. Et si sacerdos ieiunus haberi non possit, debet perfici à non ieiuno, eò quòd maius sit præceptum de sacrificio non relinquendo imperfecto, quàm præceptum de sacrificando & communicando ieiuno. Quod si sacerdos ante canonem deficiat, non est necesse, vt alius accedat. Quartò, ob magnam proximi necessitatem, putà si alicui morti proximo sacramentum sit ministrandum, etiam post consecrationem, maxime pœnitentiæ: sed sacerdos debet se quam citissimè expedire & ad sacrificium perficiendum redire, quod etiam obseruandum quoad sacrâ vñctionem si aliud sacramentũ accipere non potest. Si sacerdos post consecrationem aduertat, aquam pro vino appositam fuisse, potest occulte aliud vinum apponere & consecrare, sine noua panis consecratione.

TRACTATUS VI.
De sacramento Pœnitentię.

C A P. I.

*De nomine & natura Pœnitentię, quatenus
ea virtus est.*

1 **P**œnitentia (à pœnâ dicta, quod sit dolor ani-
mi se ipsum affligentis ob malū commissa vel ^{bona}
missa) tūm præteritæ vitæ detestationem ani-
miquę dolorem, tūm nouæ obedientiæ inchoatio-
nem continet. Cum enim per actum virtutis pœni-
tentię, homo ad meliorem vitam animi mutatiōe
se conuertat, & ad iusticiam accedat, necesse est, vt
non solum vitæ nouæ propositum concupiscat seu
resipiscat, sed inprimis etiam vitam veterē seu pec-
catum tanquam malum abolendum detestetur, ac
de eo doleat, quandoquidem omnis mutatio duos
terminos requirit, vnum à quo recedatur, alte-
rum ad quem accedatur. Vnde colligitur proprium
& formale obiectum virtutis pœnitentię esse malū
peccati, quatenus est offensa Dei ab homine cū Dei
auxilio delenda & compensanda.

2 Pœnitentia virtus definitur detestatio ac dolor
animi de peccato, quatenus est offensa Dei inten-
tione eam abolendi ac compensandi (detestatio,
fuga, recessus animi à malo peccati, displicentia,
(quatenus est offensa Dei.) Nam detestari pecca-
tum, quatenus est præcisè malum moris & rationi
repugnans pertinet generatim ad generale propositi-
um virtutis ac honestatis.

Pœni-

Pœnitentiæ virtus est pars quædam iustitiæ erga 3
Deum commutativę non simpliciter dicta, sed secū-
dam quid, qualem inter Deum & hominẽ interce-
dere dixi lib. 3. Tract. 1. de iust. c. 3. n. 5. Nam sicut in
humanis, si quis alterius ius, autoritatem, vel hono-
rem læsit ad iustitiam commutativam pertinet com-
pensare & satisfacere, sic etiam peccatum omne re-
pugnat honorẽ Dei, tanquam vniuersalis authoris
nostri legislatoris, & iudicis: Ideo iustitia exigit,
vt læsus Dei honor & autoritas, quatenus fieri po-
test, emendetur, ac compensetur: Et licet peccator
Dei infiniti offensam re ipsa compensare nõ potest,
tamen cum Dei auxilio affectum exhibet, quem
quasi pro facto Deus reputans peccatum ex miseri-
cordia gratis remittit.

NB. Pœnitentiæ virtus non tantum versatur cir-
ca malum peccati detestandum & abolendum, sed
etiam circa bonum iustitiæ amplectendum, & re-
conciliationem cum Deo obtinendam: Ratio, quia
omnis detestatio ac fuga mali fundatur in persecu-
tione vel desiderio alicuius boni.

Duplex est pœnitentiæ actus, Vnus perfectus, qui 4
dicitur Contritio, alter imperfectus, qui attritio in
Aholis appellari solet.

Veræ contritionis actus tum à charitate, tum à 5
pœnitentiæ virtute procedit, ab illa quidem, quate-
nus dolemus de peccato, vt quid contrarium Deo
summo bono; ab hac autem, quatenus idem pecca-
tum abolere cupimus ad satisfaciendum Deo offen-
so, seu iniuriã affecto.

Contritionis actus in omni lege fuit congrua dis- 6
positio promeritam Christi consequendi iustifica-
tionem. Sumitur ex Zach. 1. Conuertimini ad me,
& conuertar ad vos.

Qui

- 7 Qui verè contritus est is saltem implicite paratus esse debet, quoduis aliud malum potius perferre, quam contra Deum peccare. Nam formalem seu expressam comparationem instituere, malle aquis mergi, igne perire, quàm peccasse aut peccare, necessarium non est & interdum ob hominis fragilitatem periculo non vacat.
- 8 In vera contritione continetur propositum saltem implicitum seruandi mandata Dei, & imprimis in noua lege suscipiendi sacramenta, baptismum & pœnitentiam, tanquam media à Deo per se instituta ad remissionem peccatorum.
- 9 Attritio seu imperfectus dolor de peccatis, v. h. m. vtilis sit ad salutē, debet ex supernaturali motu proficisci v. c. per fidem apprehenso, puta, quia tanquam Dei offensa pœnam æternam meretur, atque insuper affectum seu voluntatem peccandi excludere cum spe veniæ à Deo obtinendæ. Estque attritio via ad iustitiam præparata; dolor verò de peccato ob motuum merè humanum non est vtilis, seu nullam omnino proportionem habet ad iustificationem.
- 10 Timor Dei alius filialis est (v. c. timere peccatum, quia Deo summo bono contrarium est) Et alius seruilis (v. c. timere peccatum quia reatum pœnæ à Deo infligendæ secum affert.) Timor autem seruilis, alius bonus, quamuis imperfectus, de quo iam dixi, alius malus & charitati oppositus: Talis est, si quis à peccato propter gehennæ timorem tanquam principale motuum abstinens, ita vt si gehenna non esset, peccare vellet, est timor malus & charitati contrarius.

C A P. II.

*De necessitate pœnitentiæ, quatenus est actus
virtutis.*

Pœnitentia in omni lege necessarium medium
fuit ad salutem hominibus lapsis in peccatum
mortale, sumitur ex Christi Luc. 13. *Nisi pœnitentiam
egeritis, omnes simul peribitis.* Discrimen verò est inter
statum legis Euangelicæ, & statum ante gratiam Eu-
angelii, quod ante legem gratiæ nemo aditus à
mortali peccato liberari & iustificari poterat sine
vera contritione includente charitatem Dei super o-
mnia, propterea quòd sacramenta veteris legis ina-
ctiva signa erant, quæ gratiam Dei per se non confere-
bant, sed excitabant fidem in Christum, quæ si for-
mata fuerat per actum charitatis & contritionis,
viam habuit iustificandi.

Attritio in sacramento Baptismi vel pœnitentiæ
sufficit ad hominis adulti iustificationem: Ratio,
quia hæc duo sacramenta ex Christi *iustificatione*
non viuorum sed mortuorum remedia sunt, id est
est, per se ac directè instituta, vt homini spiritualem
vitam, id est, remissionem peccatorum adferant,
consequenter eam antè susceptionem necessario
non requirunt: Imperfecta tamen saltem pœni-
tentia necessaria est, tanquam dispositio ad iustifica-
tionem.

Ad consequendam iustificationem in sacramen-
to baptismi sufficere videtur attritio virtualis, si ho-
mo peccatorum suorum tunc memor non sit. Nam
quemadmodum si quis peccatorum memoriam nõ
habet, ad huius iustificationem extra sacramentum
non requiritur pœnitentia, siue contritio formalis,

Vuu sed

sed sufficit virtualis videlicet actus charitatis Dei super omnia dilecti, siquidem in scriptura passim actus dilectionis promittitur remissio peccatorum, 1. Pet.

4. Charitas operit multitudinem peccatorum, in pari ratione ad iustificationem peccatoris, qui peccatorum suorum memor aut conscius non est, in sacramento Baptismi non requiri videtur poenitentia siue attritio formularis, sed sufficit virtualis videlicet efficax actus spei supernaturalis. Nam aeternam felicitatem sperans & desiderans paratus est ad desertandum peccatum, quod a consecratione aeternae felicitatis impedire per fidem cognouit: Alia vero ratio est de poenitentiae sacramento, ad quod necessarium requiritur formalis & explicitus actus poenitentiae saltem imperfectus, quippe cum haec sit pars essentialis materiae huius sacramenti.

4 Extat praecipuum diuinum lapsis impositum, ut poenitentiam agant Jerem. 8 Ezech. 18. adeo ut ob eius transgressionem nouum peccatum impoententiae incurrat. Verum cum hoc praecipuum affirmatiuum sit, non omni tempore obligat. Obligatur per accidens tribus casibus. Primò, si sacramentum viuorum proprium suscipere & administrare velit. Secundò, si potius inter peccandi occasiones grauibus temptationibus virgeatur, quas credat, se moraliter euitare non posse, nisi ad Deum per contritionem conuersus eius gratiam & auxilia obtineat. Tertiò, si ob alicuius siue principis peccatum communitas incidisset in periculum, ne a Deo grauius puniretur. Sicut accidit in peccato Achan Ios. 7. & Dauid 2 Reg. 24.

5 Non statim, ut mortale peccatum admissum est, praecipuum poenitentiae obligat: Ratio peti debet ex na-

ex natura præceptorum affirmatiuorum, non nisi in temporis opportunitate & necessitate obligantium; consultum tamen est, statim pœnitere iuxta Eccl. 5. *Ne tardas conuerti ad Dominum.*

Pœnitentiam nimis longo tempore aut vsq; ad finem vite differre, est nouum peccatum impœnitentiae: Ratio peti debet tum ex parte Dei, in cuius iniuria longo tempore persistere, & pro illata ipsi iniuria non satisfacere; Præsertim ipso excitante nouam iniuriam. Coniinet, & contemptum interpretatum iuxta Prouerb. 1. *Quia vocaui, & renuisti; ego quoque in interitu vestro ridebo.* Tum vero ex parte peccatoris; siquidem is in mortali peccato diu persistendo grauissimam spiritualium bonorum iacturam, periculum recidendi, ac demum perduram in malo incurrit.

Si moriturus non conetur veram animi contritionem, seu dolorem de peccatis ex Dei dilectione conceptum elicere (quippe tunc obligatus eo quod ex charitatis quemuis obliget, & in exitu huius vite ingressum ad alteram, per actum dilectionis se Deo omnis vitæ author, coniungere studeat) suspensa est eius pœnitentia.

Postquam semel peccata homini remissa sunt, non incumbit obligatio de iis, in memoriam occurrentibus iterum dolendi: Est tamen consultum, ut per accidens necesse est exercere actum disciplinae præteritorum peccatorum, si periculum morose delectationis propinquum esse videtur.

NB. Peccans cum proposito postea confitendi, 9
non tenet peccatum suum: Ratio, quia peccatum
Vuu 2 tantò

tantò minus aut maius est, quanto maius aut minus voluntas ei adhæret, si in eo firmatur. Constat autem voluntatem minus adhære peccato committendo, si postea recedere parata sit, quam si parata non sit. Quod si tamen consideratione veniæ obtinendæ per sacramentum Confessionis aliquis alligatur ad liberius peccandum, videtur esse hæc circumstantia aggrauans, imò nouam speciem ingratitudinis continens. Vnde rectè agunt fideles, si de hoc ipso in sacra confessione se accusent. Non tamen est vnum ex peccatis in Spiritum sanctum, nec semper mortale, sed si frequenter fiat, ita vt homo veluti consuetudinem ac facilitatem quandam peccandi ex tali fiducia postea confitendi ingenitari sibi aduertat.

C A P. III.

De Pœnitentia, quatenus est sacramentum.

Pœnitentia est sacramentum nouæ legis à Christo institutum, Iohan. 20. *Inflauit, & dixit: accipite Spiritum sanctum, quorum remisseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nam verbis illis habemus tum externam cæremoniam seu sensibile signum absolutionis, quorum remissionis peccatorum; tum etiam promissionem gratiæ, seu remissionis peccatorum, adeoque habemus proprium sacramentum, idque non ab aliis, quam sacerdotibus administrandum. Etenim posteaquam Christus Dominus in cœna vltima discipulis suis eorumque legitimis in sacerdotali ordine successoribus potestatem dedisset verum suum corpus conficiendi. Deinde post resurrectionem eisdem potestatem contulit corpus suum mysticum, quæ est fidelium con-

congregatio iudiciaria potestate, si lapsi sint, sanctifi-
candi.

Sacramentum pœnitentię lapsis post baptismum 2
in peccatum mortale, necessarium medium est ad
salutem: quemadmodum & in corporalibus gene-
ratio omnibus hominibus necessaria est, medicatio
non item, sed iis tantum, qui in morbum inciderunt.

Pœnitentię sacramentum est altera post baptis-
mum tabula naufragis præparata.

Sicuti non baptizatis ad iustificationem sufficit 3
votum baptismi; ita etiam lapsis sufficit votum sa-
cramenti pœnitentię. Nilominus obligat præce-
ptum suscipiendi baptismum, si postea suscipi pos-
sit, quia illa duo sacramenta à Christo instituta sunt,
tanquam remedia per se remissionis peccatorum.
Quod autem votum baptismi & pœnitentię neces-
sarium sit, si actû suscipi non possint. Prob. eò, quod
remissio homini ante baptismum & pœnitentiam
non conferatur, nisi cum ordine, obligatione &
quali tacito pacto suscipiendi baptismum & sacra-
mentum realiter confitendi, ad eum fermè modum, quo
contractus emptionis non perficitur, neq; rei empte
ante traditum dominum acquiritur, sine respectu
& obligatione ad solutionem precii.

Materia remota circa quam sacramentum pœni- 4
tentię versatur, est omne peccatum actuale hominis
baptizati, etiam id à quo aliquis semel absolutus est,
idque ob praxin fidelium ad vberiore sanctifican-
tis gratiæ virtute sacramenti infusionem.

NB. Si confessarius nullâ certam sed solum dubi-
tam absolutionis materiam ex pœnitente elicere
possit (posito quod nullum certum veniale extorset-
it, conari tamen debet) interdum sub conditione

Vuu 3 tacita

tacita absoluere non poterit; si peccati grauitas personæ periculum aliæve circumstantiæ postulare videantur, interdum verò absolute superfedere, si nulla necessitas appareat sacramentum sub conditione ministrandum.

NB. Si quis generalem confessionem de peccatis seu totius vitæ, seu vnius anni instituere velit, sollicitus esse non debet, vt omnia etiam mortalia recenseantur nullo prætermissis: cum enim peccata quibus absolutio legitime collata, sicuti potest venialia, materia confessionis libera sint, per se loquendo, nihil repugnat reuerentiæ sacramenti, aliqua eorum confiteri, aliis prætermissis.

6 Materia propinqua ex qua sacramentum penitentiae constituitur, sunt actus penitentis, Contritio, Confessio, satisfactio: Ratio, quia absolutio necessario confertur à sacerdote per modum sententiæ iudicialis: talis autem sententia essentialiter requirit causæ cognitionem & rei accusationem, quæ in secreto hoc penitentiae foro alia esse non potest, quàm ipsius Rei penitentis confessio. Igitur humili & contrita penitentis confessione sacerdotisq; absolute sacramentum hoc tanquam materia sua & forma essentialiter constituitur, atq; effectum principalem, quæ est remissio culpæ, tribuit, sed quia deleta reatu culpæ superest reatus siue obligatio penæ temporalis, ideo ad peccatum integrè ac perfecte destruendum requiritur etiam satisfactio à sacerdote iudicialiter imposita, tanquam pars integralis, & materialiter perficiens sacramenti.

Forma huius sacramenti est. Ego te absoluo à peccatis tuis: nõ in scriptis, sed in verbis. Absoluo te sunt de essentia, quia reliqua tacite subintelliguntur.

Omnia

Omnia sacramenta cum salutaris Crucis signo ad- 8
 ministrantur ex praxi & consuetudine Ecclesiæ.

NB. Licet ponamus, nullum omnino vinculum
 consistere in pœnitente afferente solum peccata præ-
 sentis confessionibus deleta; non ideo tamen for-
 mam absolutionis falsam fieri, quia sensus eius est:
 Absoluo te à peccatis tuis, id est, confero tibi grati-
 am sanctificantem suapte natura vim habentem re-
 mittendi peccata, quæ & quatenus in pœnitente ri-
 gide eorum remissionem disposito inexistunt.

Absolutio sacramentalis non nisi verbis vocali-
 bus fieri potest, præsentem eo, qui absoluitur, idque
 secundum praxin Ecclesiæ haud dubiè profectum
 Christi institutione. Quod si Christus dominus
 prescripserit etiam in absentem sententiam ferri, si-
 cuti in externo foro iudiciali, alia esset ratio: sed
 ex praxi Ecclesiæ constat, Christi mentem
 voluntatem esse, vt absolutio non nisi præsentis
 detur.

Veruntamen hæc minimè obstant, quominus sa- 9
 cerdos pœnitentem, quem reperit morti proximū,
 ante aduentum illius signa contritionis edidisse,
 Confessarium periisse, aut peccata sua in schedu-
 la memorasse illum constet, propter extremam neces-
 sitatem sacramentaliter absolvere possit, licet in præ-
 sentia sacerdotis nullum confessionis faciendæ si-
 quum edat, vt dicam infra cap. 7.

C A P. I V.

De Contritione.

Ad verā contritiōē (quæ est animi dolor ac de- 1
 restatio de peccato cōmisso cū proposito nō pec-
 cātū in cetero) nō requiritur certus gradus intētionis

Vuu 4 neque

neque absolute necessaria est de vno peccato mortali magis conteri, quam de alio. Nam ubi est substantia contritionis, per quam applicatiue detestamur peccatum supra omne malum repugnans summè bono dilecto per fidem cognito, ibi est vera contritio; & sufficiens dispositio ad remissionem cuiusque peccati mortalis, sed in quocunque intensiōnis gradu consistere potest substantia contritionis, qualem descripsimus Ergo.

- 2 Ad veram contritionem, per quam peccator iustificatur, mora temporis non requiritur: Ratio, quia secundum Dei voluntatem ac misericordiam (quæ facta apprehensione obiecti unico momento elici potest) vltima dispositio est ad gratiam sanctificantem: posita autem dispositione vltima, statim eodem momento sequitur forma. Ergo.
- 3 Vnus simplex contritionis dolor de omnibus peccatis mortalibus generali ratione apprehensis ad iustificationem extra vel intra sacramentum per loquendo sufficit. Probat. Nam si adest vera contritio, statim eodem momento sequitur gratia iustificans: vera autem contritio adest, si homo vnicum vel plura, aut omnia peccata animo apprehensa detestetur, tanquam summum malum repugnans Deo summè dilecto. Ergo: sed hoc intelligendum, si confessio ob inopiam confessarii impossibilis sit; alioquin propter obligationem confessionis nemo dubitat, omnia peccata mortalia in memoriam reuocanda esse, vt omnia secundum speciem & numerum explicari possint.
- 4 Ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiritur, vt dolor internus aliquo modo antecedar confessionem peccati. Probat, quia externa peccatorum con-

confessio, vt sit pars sacramenti, debet procedere ab interna pœnitentia, eamque significare, quandoquidem materia sacramenti est confessio dolorosa, hinc sacramentalis confessio non est mera peccatorum explicatio, sed accusatio sui ipsius, tendens ad reconciliationem cum Deo, vnde pro maiori securitate consultum est præmittere confessionem generalem, vt si ante dolor ex generali motiuo conceptus non erat, saltem tum concipiatur.

NB. Necessè est ex sententia Suarez, vt dolor animi post peccatorum narrationem habitus exteriori aliquo signo declaretur, saltem humiliando se coram sacerdote & absolutionem petendo.

Quod si confessarius dubitet de confitentis interna dispositione, excitare eum debet ad dolorem de peccatis paulo ante narratis tum concipiendum, tum ore profitendum.

Ad sacramentum pœnitentiæ non sufficit dolere solum, quod non satis doleas. Cum enim dolor de peccatis non qualiscunque, sed ex motiuo supernaturali conceptus, adque omnia mortalia saltem implicite se extendens sit essentialis pars sacramenti, manifestò liquet, si talis non adsit, quantumuis non adesse doleas, irritum esse sacramentum. Quod si quis tamen doleat, quod magnitudini peccatorum non satis proportionatum dolorem habeat, signum est, eum satis dolere & absolutionem mereri. Deinde si quis arbitretur se non satis dolere, cum tamen ex animo cupiat, eximendus est ei scrupulus.

Sufficit ad iustificationem implicitum propositum de cætero non peccandi, quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur. Probat, quia in simplici actu detestationis peccatorum ex motiuo

Vuu 5 tiuo

riuo supernaturali homo sufficienter disponitur ad iustificationem, cum interim fieri possit, vt de vita in posterum instituenda, aut peccatis euitandis nihil cogitet, praesertim si morti propinquus sit. Caeterum cum odium peccati suapte natura excitare soleat in homine voluntatem seu propositum illius declinandi, ideo dixi, in vera detestatione peccatorum virtualiter contineri propositum emendationis; adeo quidem, vt si homini verè de peccatis dolenti huius rei cogitatio occurrat, statim etiam moueatur ad propositum (quod confessarii exigere debent à confitentibus) omnia mortalia peccata in posterum cauendi..

7 Propositum in posterum abstinendi à peccato in poenitente efficax esse debet, ita vt dum talis animi dispositio, seu voluntatis propositum durat, re ipsa moueatur homo ad occasiones peccatorum amouendas, & omnem aliam operam adhibendam, quæ ad vitanda peccata necessaria esse videtur: Ratio, quia propositum finis, si absolutum firmumque sit, statim mouet voluntatem ad quærenda & amplectenda media necessaria.

8 Accidit interdum, vt quis verum propositum habeat abstinendi à peccato, & existimet, se non omnino vitaturum esse, vel certum aliquod peccatigenus non effugiturum, quia antea etiam voluntatis suæ inconstantiam expertus fuerat: Ratio, quia vel le ac proponere voluntatis actus est, existimare autem se facturum, quod voluntas proposuit, actus intellectus, qui ex proposito illo necessario non consequitur ob humanæ voluntatis cognitam inuersionem. Vnde confessarii poenitentes non debent adigere

gere ad specialem promissionem vel iuramentum
de hoc vel illo peccato in posterum non patrandum,
nisi in crimine pernicioso Reipublicæ & prodi-
tionis.

Occasiones & pericula peccandi propinqua (que
scilicet spectatis omnibus circumstantiis difficulter
& vix aliquis euitaturus putatur) pœnitens ordina-
te amouere obligatus est, iuxta Eccles. 3. *Qui amat
periculum, peribit in illo.* Et Christi Matth. 18. *Si
manus vel pes tuus scandalizat te, abscinde illum:* Non
rem pericula remota (quæ homo facile euitare
potest.)

Quod si periculum propinquum seu occasio mor-
taliter peccandi sine graui incommodo corporis, I
famae, fortunarum tolli non possit, tunc consilium
quidem est minorem illam iacturam bono securita-
tis animæ posthabere, sed non præceptum: Ratio,
quia occasio peccandi in se peccatum non est, neque
necessitatem infert, aut animi libertatem aufert,
quare cum eo consistere potest peccatorum dete-
ctatio.

Qui sapius eandem speciem peccati ad confes-
sionem affert, iterum absoluendus est, si nouum e-
mendationis propositum ostendat (quia vt S. Hie-
ron. Non solum septies, sed etiam septuagies septies
delinquenti, si conuertatur ad pœnitentiam peccata
condonantur) quod aliquibus signis cōfessarius co-
gnoscere poterit, si post proximam confessionem rari-
us, quam ante solebat, lapsus fuit: Secundò, si mediis
confessario præscriptis vsus. Tertiò, si occasiones
remouet. Sed licet talia non præstitit, tamen est ab-
soluendus, quia licet antea propositum inefficax ha-
berit, nunc tamen verum & efficax concipere potest,
idque

idque affirmanti credi plerunq; debet, cum ipse sit sui accusator, defensor & testis.

Quod si pœnitens dolore & indignatione propter relapsus suos concepta iterum iterum sæpius confitendo pœnitentiæ & confusionis suæ remedia quærir, talis cœnseri debet bene dispositus,

- 11 Concubinarius ordinariæ absolui non debet, nisi spondeat, concubinam quamprimum à se amandaturum. Quanquam fieri possit, vt aliquis semel aut iterum admonitus restitutionem non fecerit, aut concubinam non dimiserit, nunc tamen euidentiora signa maturæ voluntatis præ se ferat, vt eius promissio acceptari, & absolutio dari possit.

Quod si quis in graui infirmitate vel quouis periculo constitutus, alium hominem facile habere non possit, qui ei necessaria ministret, præter concubinam, ad quam tunc pœnitens carnis affectum non gerat, ideoq; putet, se eius occasione non lapsurum, cum primum autem conualuerit, statim se amandaturum promittat, tali casu permitti poterit, si scandalum absit videlicet in concubinato occulto.

- 12 Nullum etiam veniale peccatū in hac vita à Deo homini remittitur absque pœnitentia saltem virtuali. Ratio, quia veniale est aliqualis deordinatio & macula mentis conuersæ ad bonum creatum, aliquo modo contra auctoritatem ac legem Dei, cuius proinde amicitiam licet non tollat, tamen aliquatenus impedit. Talis autem deordinatio & auerſio mentis, tametsi actualiter cesset v. c. in homine dormiente, vel ad alia animum applicante, manet tamen habitualiter & secundum voluntatem interpretatiuā, donec per contrarium actum alicuius pœnitentiæ supernaturalē retractetur.

Vera

Vera contritione omnia mortalia delentur, sed ^{1 3}
non omnia venialia, quia fieri potest, vt cum vera
contritione & hominis iustificatione venialia aliqua
peccata consistant, siue secundum actualem affectū,
siue secundum habituales tantum & nondum re-
tractatam voluntatem.

Sola attritio in homine iusto non videtur esse suf- ^{1 4}
ficiens ad remissionem peccatorum venialium extra
sacramentum, quia peccatum etiam veniale est ali-
quomodo contra Deum, quippe auersio aliqua &
recessus à Deo, Ergo extra sacramentorum privile-
gium remitti non debet, nisi per pœnitentiam seu
detestationem peccati conceptam propter Deum,
seu per quam conuertatur homo ad Deum, quæ est
contritio.

Peccatum veniale nunquam remittitur nisi simul ^{1 5}
infundatur gratia sanctificans, sed gratia sanctificans
homini extra sacramentum nō infunditur, sine actu
formali aut virtuali charitatis Ergo cū attritio ex cha-
ritate non procedat, sed solum cōtritio sequitur per
attritionē in homine iusto nō remitti venialia Maior
probat: quia esto Deus per absolutam potenti-
am remittere possit peccatum sola condonatione
extrinseca, quod scholastici disputant, certum tamē
est, conuenientius esse, vt id faciat per infusionem a-
licuius doni intrinsecè inhærentis, quæ est gratia
sanctificans. Minor probata fuit lib. 2. Tract. 3. c. 1.
n. 1. Quod iustus extra sacramentum sine actu cha-
ritatis gratiæ augmentum consequi non possit.

NB. Peccatorum venialium remissionem à Deo
consequimur per orationem dominicam, vel alias
preces continentes in se petitionem veniæ peccato-
rum, imò per quoduis opus bonum v. c. Eleemosy-
nam,

nam, ieiunia, si ea intentione fiat, ut per id peccatorum remissionem mereamur; Hæc tamen intelligi debent, ut fiant propter amorem Dei seu ex charitate Dei, sine qua opera quæcunque homini nihil profunt ad salutem.

- 16 Peccatum veniale **Q**ui simul habet originale aut mortale nunquam sine eo remittitur: Ratio, Quia peccatum veniale est quædam diuersio à Deo, Ergo non potest deleri, nisi per actum hominis ad Deum conuersi ipsique grati.
- 17 Sacramentalia signa, pura, aqua benedicta, agnecerei, non habent vim per se, & immediatè remittendi peccata, sed tantum remotè, quatenus propter preces Ecclesiæ impetrant nobis à Deo auxilia gratiæ præuenientis, & alia beneficia. Probat ex eo, quod peccata etiam venialia non remittantur homini sine interiore pœnitentiæ & gratiæ infusione. Quamobrem Ecclesia non habet potestatem extra collationem sacramenti certò & infallibiliter remittendi peccata, secundum reatum culpa. Alia verò ratio est de remissione pœnæ per indulgentias. Cum enim illa sit extrinseca quædam condonatio, non requirit internam hominis renouationem.
- 18 Etiam ad remissionem venialium peccatorum extra & intra sacramentum requiritur propositum salutem virtuale ea in posterum vitandi: Nam ad remissionem etiam venialium requiritur pœnitentia, Ea autem necessario includit tale propositum.
- 19 Multum discrimen est inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis, & propositum requisitum ad remissionem venialis. Nam primo propositum vitandi mortalia, sicut & ipsa con-
- trinito
plicit
sine a
minit
mal
gratia
Co
homi
dum
vel et
candi
ficians
tamen
doqui
filter
morta
requir
tantu
collec
sed et
adren
tum v
tus si
exani
Dei g
Impo
suum
Pe
nitus
bono
siopi
unt.
Proba

trito vel attritio debet se ad omnia explicitè vel implicitè extendere, propterea, quod vnum mortale sine alio remitti non possit, neque vnquam hominis iustificatio fieri, manente actuali aut habituali affectu ad peccatum mortale; quippe cui gratia iustificans per se ac formaliter repugnat.

Contra verò nihil obstat, quin vnum veniale homini remittatur, altero remanente, vel secundum habitualement & non retractatam voluntatem, vel etiam secundum actualem affectum, seu peccandi propositum: Ratio, quia licet gratia sanctificans ad remissionem peccati venialis concurrat, tamen non expellit omne peccatum veniale; quandoquidem peccatum veniale in actu & habitu consistere potest cum gratia sanctificante: Non item mortale. Secundò, ad remissionem mortalium requiritur propositum abstinendi ab omnibus non tantum in sensu diuiso, sed etiam composito seu collectiuo; ita vt animus sit non tantum singula, sed etiam omnia simul cum Dei gratia vitare; **Sed** ad remissionem venialium non requiritur propositum vitandi omnia simul & collectiuè, ita vt animus sit, nunquam venialiter peccandi, ne quidem ex animi subreptione; hoc enim sine specialissima Dei gratia homini in hac vita impossibile est; Impossibile autem non est voluntas vel propositum.

Per pœnitentiam peccata non sopiuntur, sed penitus extinguuntur, Actor. 3. Tit. 2. Psal. 50. At vero bonorum operum merita, quæ in statu peccati velut opita & impedita erant, per pœnitentiam reuiuiscunt. Non item peccata reuiuiscunt per relapsum. Probatum prius, quia priuatio gloriæ aternæ tanquã merce-

mercedis debitæ fundatur in peccato postea cõmitto tanquam fundamento & radice; si igitur peccatum per pœnitentiam & iustificationem sublatum sit, recuperatur meritum, seu ius gloriæ cœlestis, quo peccator se indignum interim reddebat. Posterius probatur, quia quod semel absolutè deletum est, id amplius non reuiuiscit, sed peccatum per pœnitentiam penitus deletur, & auferitur. Ergo. Vnde illud Apostoli Rom. 5. Non sicut delictum, ita & donum seu gratia remissionis, quia Deus multo promior est ad miserendum, quàm ad puniendum.

C A P. V.

De Confessione.

¹ **C**onfessio omnium peccatorum mortaliũ particularim facienda sacerdoti, quatenus adhibita morali diligentia fieri potest diuino iure necessaria est iis, qui post baptismum lapsi fuerunt. Nam vniuersa semper Ecclesia intellexit Apostolos, eorumque in sacerdotio successores à Christo in Cœlos ascensuro Iohannis 20. Veluti præsides ac iudices constitutos fuisse, data ipsis potestate criminum post baptismum commissa, tum remittendi, tum retinendi, seu alligandi, ita vt sine illorum absolutione, criminum venia obtineri non possit. Hoc autem interioris fori iudicium lapsis necessarium, incognitâ causâ siue criminibus à Reo particularim nõ explicatis, exerceri nequaquam potest, cum aliaratione sacerdotes cognoscere nequeant, quænam peccata remittenda, & quæ retinenda.

² Patres Antiqui, maximè Pacianus, S. Athanasius, Ambrosius. Chrysostr. Cyril. Hiero. Victor. August. testantur, Apostolos, eorumque in sacerdotio successo-

Magis potestatem à Christo accepisse, vt tanquam
constituti iudices fideiū peccata autoritate Christi
mittant.

Testantur item Patres, maximè Origenes, S. Cy- 3
rianus, S. Pacianus, Chrysof. Ambros. Beda, Leo,
ad remissionem peccatorum à sacerdote obrinen-
tum necessarium esse, vt pœnitens peccata omnia
mortalia, etiam occulta confiteatur.

Præceptum confessionis non statim obligat, cum 4
quis in mortale lapsus est : Ratio, quia est præce-
ptum affirmatiuum, & Deus dat inducias peccato-
rum, ait Henriquez, neq; refert, etsi periculum sit pec-
cata obliuiscendi : Nam alioquin peccatoribus, qui
obliuosi sunt, difficilis obligatio incumbet, vel sæ-
pius in anno confitendi, vel peccata sua scripto
designandi, quorum neutrum ex iure diuino imò
neque Ecclesiastico ostendi potest.

In mortis articulo, vel probabili periculo, & graf- 5
tante peste, lapsus incumbit præceptum diuinum
confessionis sacramentalis, quia alioquin si homo ex-
ponet certo periculo mortale peccatum nunquam
confitendi, cum tamen sacramentalis confessio à
Christo instituta & præcepta sit.

Obligaciones confitendi per accidens duæ sunt : 6
Prima, si communicare quis velit. Secunda, si quis
credat, se certam mortalis peccati speciem, in quod
lapis lapsus fuit, euitare aliter non posse, quia vide-
ret ad amouendas propinquas peccandi occasio-
nes prudentis viri consilio opus est, quod extra con-
fessionem petere nolit, atq; non possit. Præterea præ-
ceptum Ecclesiasticum (non diuinum) confessioni
omniæ ætatis fideles etiam pueros obligat, si
in mortale lapsi.

7 Vtrum pueri confitentes sacramentalis absolu-
tionis capaces sint, confessarius non ex sola ætate iu-
dicare debet, sed multò magis ex ingenii & educa-
tionis qualitate. Quia multi post eam ætatem; alii
vero antè rationis discretione consequuntur, cuius
rei exemplum habemus apud S. Gregor. de puero
quinquenni in blasphemis moriente ac damnato.

NB. Quod si puer ex motiuo merè humano v. c.
quia à patre vapulabit, doleat de peccatis, & non ex
supernaturali motiuo, putà, quia Deo contrarium
est, pœnam æternam vel purgatorium meretur, si-
gno crucis dimittendus est.

Quod si autem positis omnibus circumstantiis
dubium sit de pueri capacitate, sub conditione ab-
soluendus est animo retenta: In mortis verò articu-
lo in dubio simpliciter puer absolui debet, nam tali
casu necessitatis in dubio inclinandum est in fauo-
rem animæ.

8 Annuæ confessionis instituendæ compræstatio
fieri debet à paschate ad pascha; ita, vt qui post pa-
schatem confessionem in mortale lapsus, eius con-
fessionem ad sequens pascha differre possit, & non
amplius. Probatum ex praxi Ecclesiæ, siquidè meo so-
lo tempore pastores à fidelibus suis confessionem pec-
catorum intra annum commissorum exigere solent.

9 Qui in paschate confessus non fuit, postea cum
primū potest, confiteri debet, vel quod si præuideat,
se impeditum tunc iri, debet ante confiteri, propte-
rea quod præceptum annuæ confessionis omni tem-
pore anni impleri possit, quod vero, qui in paschate
non confessus, teneatur, quamprimum potest, con-
fiteri. Probatum, quia tempus paschale, veluti im-
plendi præcepti terminus, positus non est ad obli-
gatio-

tionem finiendam, sicuti accidit in præcepto ieiunij, audiendi missam, quibus certi dies assignati sunt, sed ad obligationem statuendam, quemadmodum videre est in obligationibus tributi vel pecuniarum debiti.

Qui post pascha v. c. in pentecoste sacramentaliter confessus est, si sequente paschate à sacra communione accipienda impeditur, non tenetur confiteri cum annuæ confessionis præcepto satisfecerit.

NB. Si quis toto anno non confessus esset, & paschalem communionem differret breui tempore v. c. ad pentecosten ex necessaria causa, probabile est, eum graviter non peccaturum, etsi sacramentum confessionis differret, si putaret postea eam commodius peracturum. Imò lecto affixi non sunt compellendi ad confessionem, si in tra anni decursum legitime confessi fuerant.

Qui de peccatis hęcetè siue absq; requisita dispositione confitetur non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Nam Ecclesia præcipere potest, & re ipsa præcipit, ut sacramentum pœnitentiæ quotannis ab iis suscipiatur, qui mortali peccati consci sunt. Sacramentum autem non consistit sine absolutione sacerdotis. Ergo sine ea non satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Nullum præceptum est, ne Ecclesiasticum quidē, quod fideles omnes obligat ad confessionem venialium. Nam Lateranense Concilium nimis gravē obligationem fidelibus imposuisset. Mens & intentio enim Concilii fuit, eam obligationem fidelibus imponere, quæ ex diuino iure descendit, atque nullum præceptum Christi extat confitendi venialia.

NB. Quod si quis habeat sola venialia non obligatur

gatur ante communionē paschalem ad cōfessionem.
 Consultum tamen est, vt se sistant examini sacerdotis proprii, vel alterius delegati.

- 13 Ecclesia potest, & re ipsa solet v.c. Regularibus Benedictinis praecepere, vt sacramentaliter confiteantur, etiamsi habeant sola venialia, quia Religiosi possunt se ex voto obligare ad eiusmodi confessionem. Ergo etiam Praelati ordinum possunt praecipere.
- 14 Episcopi praecipere possunt Ecclesiae ministris, vt quolibet saltem mense sacramentalem peccatorum confessionem instituant.
- 15 Si confitens venialia peccata tantum habeat, debet vnum aut plura in specie explicare, patet ex praxi confessariorum, non solentium extra extremam necessitatem sacramentalem absolutionem conferre, nisi quis certum aliquod peccatum, siue mortale, siue veniale confessus fuerit. Cum enim Sacramentum poenitentiae conferatur per modum iudicialis absolutionis, apparet conueniens omnino esse, atque sacramenti huius institutionem postulare, vt afferatur & subiiciatur materia certa, quia absolutionis iudicium magis determinatè ferri possit.
- 16 Consultum tamen non est, omnia venialia secundum speciem, & numerum sollicitè colligere ad confessionem, cum potius de vero dolore & emendationis proposito sollicitos esse oporteat.

C A P. VI.

Vtrum sacramentalis confessio debeat secreto fieri.

PRaeceptum confessionis fidelibus lapsis impostum intelligi debet de confessione secreta seu auriculari.

seculari: Ratio, quia iugum Christianæ religionis oportet esse suaue: Atqui nimis difficile foret, si criminata præsertim secreta publicâ confessione aperienda essent. In communi tamen naufragio v. c. ob maiorem sui humiliationem publicè confiteri nihil pugnat cum natura & institutione huius sacramenti.

Sacramentum confessionis absolutè & secundū substantiam spectatam consistere potest in quouis signo propriæ accusationis de peccato, in ordine ad sacerdotis absolutionem accipiendam.

Si tamen pœnitens loqui potest, confessio peccatorum vocis sermone fieri debet, quia hic modus similiter se accusandi voce conuenientissimus est ad veniam obtinendum. Excipitur tamen casus necessitatis v. c. in puella, præ verecundia in scripto explicare potest suam confessionem. Deinde si ægro- tus agrè vere confiteri potest, etiam in scripto potest. Tertio, etiam sacerdos subito obsurdescens confessionem scriptam legere potest.

Qui perpetuo mutus est, & scribere nescit, peccata sua nutibus, quatenus potest, confiteri debet, qui autem sperat, locutionis vsum, breuiter se recuperaturum, interim excusatus videtur à scripto etiam Ecclesiastico præcepto, quo ad communem confessionem. Nam scripto confiteri est insolitus modus, nec vacat periculo publicationis. Quare Ecclesiastica lex in tali casu cessare videtur.

Peregrinus extra mortis articulum non obligatur ad confitendum per interpretem, si aliter intelligi non possit. Nam hæc aliquo modo publica confessio est, quam Ecclesia præcipere non solet. In mortis articulo ea peccata per interpretem con-

fiteri tenetur, quem absque maiori infamia potest
restari Cano.

C A P. VII.

*De Publica, non sacramentali confessione
peccatorum.*

1 **E**Xomologesis seu confessio publica variè differt
à secreta sacramentali, quippe illa non existente
sacramentali, & iam abolita, hac autem semper in
Ecclesia permanente & contra Nouatianos heretico
semper defensa.

NB. Nestarius Constantinopoli publicam exomologesin vna cum pœnitentiario (qui ad id constitutus erat, vt discerneret, quænam peccata essent publicè confitenda, quæ non,) sustulit, occasione scandali per mulierem orti, quæ in publica exomologesi amplius, quam debebat, progressa, occultum cum Ecclesiæ Diacono concubitum confessa erat.

- 2 Sacramentum pœnitentiæ omnibus lapsis, quocumq; maxime mortis tempore verè pœnitentibus in Ecclesia Catholica conceditur.
- 3 Sacra Communio tempore S. Cornelii & Cypriani grauissime lapsis, etiam mortis tempore in criminis pœnam negabatur. Nunc autem canonica regula obtinet, vt cui morienti absolutio à peccatis conceditur neq; viaticum denegari debeat.
- 4 Nomine pœnitentiæ Patres maximè Cælestinus S. August. Concil. Carthaginense, Araf. Leo, &c. sacramentum pœnitentiæ frequenter intellexerunt.
- 5 Publici pœnitentes non tantū in mortis articulo; sed etiam feria V. ante pascha ad sacramenta olim admittebantur: Ita tamen vt postea ad pœnitentiam redire.

redire debuerint, donec definito tempore seu elap-
so per Episcopi indulgentiam remisso per publicam
sacramentalem manus impositionem reconci-
liarentur & communi fidelium restituerentur.

Pœnitentia publica Clericis non imponebatur, 6
imò per publicam pœnitentiam aliquis ad Clerica-
lem statum ineptus reddebatur, idq; propter digni-
tatem ordinis, depositus tamen poterat subiici pu-
blicæ pœnitentiæ.

C A P. VIII.

De integritate Confessionis.

Confessionis sacramentalis integritas ex iure di-
citur, quatenus directe ad necessitatem siue
essentiam sacramenti non spectat, quasi sacramen-
tum pœnitentiæ nunquam consistere possit, nisi in-
terea mortalium confessio fiat, sed potius spectat
ad necessitatem præcepti diuini, cuius tamen volun-
taria transgressio inde recte redundat in defectum
sacramenti, ut nimirum valide non suscipiatur.
Probarur prius: Nam sacerdotes à Christo iudices
constituti sunt in foro pœnitentiæ: Hoc autē Iudi-
cium recte exercere non possunt neq; æquitatem in
penis decernendis seruare, nisi peccata in specie
atque sigillatim ipsis declarentur. Posterius proba-
tur. Nam ad sacramenti pœnitentiæ per se requi-
ritur saltem attritio: Hæc autem consistere non po-
test cum peccato actuali videlicet sacrilegio morta-
li, quod confitens committitur, vnum vel plura pec-
cata absque iusta causa seu per malitiam seu per cras-
sam negligentiam retinendo.

Qui ob moralem impossibilitatem mortale pec-
catum in sacra confessione non explicauit, debet ces-

Xxx 4 sane

fante impedimēto explicare, propterea quod absolutio ab iis directè & secundum speciem data non fit, sicuti natura siue institutio huius sacramenti postulat, cum enim humilis peccatorum specifica confessio sit proxima materia, quæ sacramentali absolutioni subiicitur, imò quatenus ei subiicitur & clauum virtute eleuatur, instrumentaliter ad peccatorum remissionem concurrat. Ideo consentaneum est, eam cum peccatorum remissione seu absolutione proportionem habere, vt sicuti non vnum peccatum sine altero, sed omnia mortalia simul remittuntur, ita non vnum sine altero, sed omnia mortalia peccata simul per confessionem vni eidemque sacerdoti absoluturo manifestentur, quatenus mortaliter possibile est.

- 3 In confessione peccatorum requiritur integritas formalis, (quæ est, cum quis omnia mortalia, quatenus hic & nunc potest ac debet secundum speciem & numerum confiteretur) & non semper materialis (quæ est cum quis absolute loquendo omnia mortalia secundum speciem & numerum confiteretur, saltem quæ post vltimam confessionem admisit.
- 4 Subitò obmutescens aut in phrenesin lapsus absolui debet, si sacramentalem absolutionem signo aliquo doloris periit, ea tamen manente obligatione, vt cessante impedimento, peccata mortalia specificè subiiciantur clauibus. Ratio assertionis est, quia confessio etiam generalis peccatum ex animi dolore profecta, potest esse sufficiens materia sacra mortalis absolutionis: siquidem vt supra dixi, Specifica & particularis peccatorum explicatio, absolute non est de necessitate sacramenti, sed per se ac directè solum de necessitate præcepti diuini.

diuini, quod pœnitentem non obligat, nisi quatenus seruari potest.

NB. Non est satis, aliquem ante mortis articulum vel in ipso periculo signum aliquod pietatis vel pœnitentiæ edidisse, nisi talis manifestatio interni doloris directæ fuerit ad sacramentum pœnitentiæ, siue absolutionem à sacerdote petendam. Ratio est, quia sacramentalis absolutio ministrari non potest, nisi adsit materia sacramenti; quæ est confessio, siue accusatio sui coram sacerdote, tanquam Iudice: Nee esse inquam est, vt pœnitens se ipsum de peccatis accuset, ea intentione, vt per sententiam sacerdotis in foro interno absoluitur.

Signa autem pœnitentiæ, quæ præsentis mortis articulo ab infirmis eduntur, censeri debent ad sacramentalem absolutionem directæ, vt in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant. Extra hunc casum necessitatis autem propter honorem sacramenti, vt eius integritas seruetur, absolutio sine manifestatione specialis salutem alicuius peccati non est conferenda.

Diligens conscientiæ examinatio ante sacramentum confessionem requiritur. Quanta autem examinandi diligentia requiratur moraliter consideratis circumstantiis æstimandum est: nam minore examine indiget, qui frequenter confitetur, quàm qui rarius.

Inculcata obliuio peccatorum mortalium facilius accidit circa ea peccata, quæ per ignorantiam crassam commissa fuerunt. Nam licet tunc res ipsa, siue opus habens speciem mali, commouerit hominem ad æstimandum periculum peccandi mortaliter, quia tamen eo dictamine spreto & examinatione

tione omiffa, temere opus perfecit perinde ac fi peccatum mortale non effer, non ita relinquatur in memoria fpecies admiſſi mali, fi autem à concionatore, aut monitore, intelligatur tale opus eſſe mortale, tunc primum conſcientiâ vrgeri incipiunt.

7 Qui non in ſpecie ſed ſolum in genere recordatur, ſe mortaliter peccaſſe, hoc ipſum in confeſſione explicari debet, cum hæc ſit ſufficiens, imò neceſſaria materia ſacramenti.

8 Extra mortis periculum nunquam abſolui debet, qui de nullo peccato in ſpecie ſe accuſat, quia ſi ſemel fateamur abſolutionem extra extremam neceſſitatem conferri poſſe, nullum peccatum in ſpecie explicantibus, ea facultate aburentur ſacerdotes contra ſacramentalis confeſſionis legitimam institutionem, & uſum. Quod ſi quis tam rudis, vt examinans confeſſarius, nullum ne quidẽ veniale in ſpecie extorquere poſſit (cum tamen nemo tam hebes, qui examinatus recordari nequeat, ſe in oratione diſtractum, verbum ocioſum locutum) debet dimitti ſine abſolutione; ſi enim talis rudis ſupernaturale dolo-rem habet, iuſtificari poterit ab occultis peccatis ſuis per ſuſceptionem ſacramenti Euchariftiæ.

9 Si pœnitens inchoatam confeſſionem coram ſacerdote perficere non poſſit, interdum abſolui debet v.c. ſi propter ignotum idioma non omnia poſſit explicare, aut ſi in phreſin incidat.

10 Tempore peſtis & naufragii, licitum eſt multorum confeſſionem ſimul audire & abſoluere.

11 Non tenetur aliquis peccatum cõfiteri, cum graui periculo animæ, famæ, corporis, &c. Ratio, quia tunc poſitiua lex de confeſſionis integritate merito cedit iuri naturali charitatis, ne quod ex chari-
tate

ne remedium institutum est contra charitatem militat.

Peccatum ordinarium explicandum est in confessione non obstante, quod complex à proprio confessario cognoscendus sit (nisi quis facile petita licentia alieno confiteri possit.) Nam damnū illud fame corā solo confessario læsæ posthabendū est maiori bono seruandæ integritatis, & capiendi spiritualis auxilii à confessario; si tamen fama grauissimè læsa denuo sit apud confessarium, potest & debet retineri peccatum complicitis; ne alioquin confessio ad salutem hominum instituta in graue alicuius dānum vel tristitiam cedat; si is forte aliquo indicio cognoscat, famam siue existimationem suam apud confessarium, prælatum, grauiter læsam esse.

Si pœnitens absque necessitate complicem peccati nominare velit, à confessario prohibendus est.

Qui duos confessarios habet, quorum vni mortalia, alteri venialia confiterur, non peccat contra sacræ confessionis integritatem & quandoque recte fit, quo pœnitens maiori libertate apud alterum uti possit: si graue peccatum, in quod per consuetudinem lapsus est, ordinario suo confessario apud quem hætenus bonam opinionem seruauit, confiteri erubescat. Quare imprudenter agunt confessarii, si repræhendant pœnitentes suos: quod semel aut iterum confessionale eorum declinārint, cum potius id dissimulare oporteat.

Plerunque tamen talis mutatio non vacat aliqua deordinatione, & est signū animi magis æstimationem suam, quàm spirituales perfectionem curantis. Per accidens verò fieri potest, vt talis etiam mortale

mortaliter peccet, si ea ratione exponat se periculo facile labendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi: quod eiusmodi hominibus accidere solet, qui industria Confessarios imperitos adeunt, vel quibus ignoti sunt, nullum constanter retinentes, sed ab vno ad alterum transeuntes.

15 Mentiri ex proposito circa materiam mortalem & confessioni necessariam, est peccatum mortale, vel enim negas, te mortale commississe, quod tamen commisisti, & hinc fateri deberes, & tunc confessio non est integra, sed sacrilega: vel affirmas, te mortaliter peccasse, quod non fecisti, & tunc grauius decipis confessarium, non sine graui irreuerentia sacramenti. Quod si quis mentiatur venialiter, peccat solum venialiter, cum enim ^{non} teneatur venialiter confiteri, grauius decipit confessarium mentiando neque peruerit naturam sacramenti, quandoquidem absolutio nihilominus valida erit, suumque effectum consequetur, dummodo interim vera confessionis materia subiiciatur. Quod idcirco adiicio, quia certum est, illum peccare mortaliter, qui falso alicuius peccati venialis se accusans nullamque aliam confessionis materiam afferens absolutionem a sacerdote postulat, nisi animi perturbatio vel scrupulus eum excuset.

C A P. IX.

De Confessione inualida ob defectum penitentis vel Confessarij.

1 **C**onfessio inualida est, primò, ob defectum confitentis, si requisito dolore caret, quo pertinet, si aliquis inter confitendum mortaliter peccet, puta quia temere, vel per crassam ignorantiam omittit pecca-

peccatum mortale, aut de quo rationabiliter dubi-
 rat, num sit mortale, (nisi in hoc casu bona fide arbi-
 tretur se confitendi obligatione immunem esse) vel
 denique, si exiguum valde conscientiae discussio-
 nem instituens coniciat in probabile periculum o-
 mittendi mortale. Vnde cum talis confessio sacra-
 mentalis non sit, tota est reperenda.

Sacramentum poenitentiae non potest esse vali- 2
 dum atque informe, siquidem hoc peculiare est in
 sacramento poenitentiae, quod debita suscipientis
 dispositio videlicet dolor de peccatis (qui debet se
 extendere saltem virtualiter ad omnia mortalia pec-
 cata propter reconciliationem cum Deo) sit pars il-
 lius essentialis.

Contritio seu attritio ex supernaturali motivo, 3
 quae cum sacramento sufficiens dispositio est ad iu-
 stificationem, debet se extendere ad omnia mortalia,
 saltem virtualiter, nisi enim hoc dicamus, conse-
 quens esset, nihil repugnari, quominus vera contri-
 tio aut attritio consistat in actuali affectu ad pecca-
 tum mortale: id autem probabiliter dici non potest,
 uti fateatur Suarez.

Qui ob ignorantiam non mortaliter culpabilem, 4
 peccatum confiteri omisit, non tenetur postea inte-
 gram confessionem repetere; secus si ignorantia
 mortalis fuit; exemplum habes in puero, qui pec-
 catum aliquod v.c. mollitiem arbitratus est, esse le-
 ue vel nullum peccatum, sed postea grandior factus,
 intellexit esse mortale; item in rustico rudi & impe-
 tito; qui ex ignorantia non crassa peccata solum ge-
 nericè confiteretur, quia à parochio suo nunquam de
 ea re instructus est, talis si supernaturalem de pecca-
 tis poenitentiam cum emendandi proposito habeat,
 vide-

videtur valide absolui, quamuis cum obligatione, ut si postea in Catechismo, concione, &c. melius instruat, & præceptum diuinum de integritate confessionis cognoscat, teneatur omnia mortalia secundum speciem & numerum explicare. Porro NB. Confessio fit invalida ob defectum confessarii, ideoque repetenda, si sacerdos iurisdictione omnino caruit, vel impeditam habuit per suspensionem ab officio excommunicationis denunciata, aut contractam ob Clerici Notorii percussione. Deinde si verba absolutionis substantialiter vitiet. Tertio, si absolventi intentione nec actualem nec virtuale habeat.

Si confessarius ob surditatem, distractionem vel somnum aliquod peccatum mortale non intellexit, videtur nihilominus valida esse absolutio, dummodo poenitens bona fide egerit, & culpa in solo confessario resedit: Ratio, quia effectus cum essentia sacramenti consistere potest absque integra & specifica peccatoris explanatione, si ea sine culpa poenitentis, suumque dolorem sacerdoti explicantis, intermittatur, si tamen poenitens id postea resciat, debet iterum peccatum illud clauibus subiicere, quia semper manet obligatio omnia mortalia confitendi secundum speciem & numerum, ut ab omnibus directe & in specie sicuti institutioni huius sacramenti consentaneum est, conferatur.

Addo tamen si contingat absolutionem sacerdotis ob aliquem eius occultum defectum invalidam esse, raro id obuenturum poenitenti inculpate defectum ignoranti: quando enim is in proxima confessione absoluetur à peccatis, absolutio illa extendit se ad alia omnia, à quibus se antè absolutum bona fide existimabat.

Si confessio, quæ ob defectum pœnitentis aut 6
 confessarii inualida fuit denuò instituat apud eun-
 dem sacerdotem: non est necessarium, peccata secū-
 dum speciem & numerum repetere, modò confessa-
 rius statū pœnitentis adhuc recordetur saltem cōfu-
 se vt conuenientem illi pœnitentiam imponere pos-
 sit. Prob. ex praxi, si enim sacerdos audita confessio-
 ne animaduertat, pœnitentē non satis dispositum &
 contritū esse, interdum differt absolutionē in alterum
 diem: si autem cōtingat eum interea species pecca-
 torum obliuisci, non ideo exigere solet, vt confessio
 repetatur, sed tantum, vt de peccatis verus dolor cū
 emendationis proposito cōceptus sit. Ratio est, quā
 sepius dedi, quia specifica & particularis peccatorū
 manifestatio, aut cognitio per se & simpliciter nō est
 de essentia ac necessitate sacramenti, sed tantū de ne-
 cessitate præcepti diuini, cui pœnitens ante satisfac-
 cit, enumerando omnia peccata, ideoq; solum defe-
 ctum v.c. contritionis iam supplere tenetur. Addo
 deniq;, tametsi confessarius nec statum peccatoris
 generatim recordetur, sed id tantum, quod sibi con-
 fessus fuerit, eumq; rectè dispositum iam absoluat,
 peccatum illum quidem, cum non rectè suo mu-
 nere in pœnitentia imponenda fungi possit, nihil-
 ominus validam & fructuosam fore.

C A P. X.

*De ministro sacramenti pœnitentia atq; in
 eo requisita iurisdictione.*

Solus sacerdos à peccatis absolvere potest, sumi-
 tur ex Ioh 20. vbi Christus in discipulos suos in-
 flauit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quo-
 rum remisistis peccata, remittentur eis: & quorum re-
 tenueritis, retenta sunt.* Quo facto Dominus clarè

significauit, sicut etiam Ecclesia semper intellexit, potestatem hanc remittendi peccata non omnibus concessam esse, sed iis tantum, qui specialem ordinationem & Spiritus sancti gratiam ad id deputarentur, quales sunt soli sacerdotes, in quorum proinde ordinatione eadem illa verba dicuntur. Requiritur autem in sacerdote necessario iurisdictio. Colligitur ex facto Christi Iohannis 20. Vbi prius discipulis suis iurisditionem contulit, *sicut misit Pater, & ego mitto vos.* Deinde potestatem remittendi & retinendi peccata tribuit: Ratio, quia absolutio à peccatis est actus iudicialis, ideoque iurisditionem requirit. Quare exactè hinc distinguendum est inter potestatem ordinis & potestatem iurisditionis. Nam potestas ordinis in omnibus sacerdotibus æqualis est extendens se ad omnium fidelium peccata remittenda iuxta institutionem Christi, *Quorum remisistis peccata,* sed est tamen remota & indeterminata, quæ per se in actum exire non potest. Perficitur autem & determinatur per potestatem iurisditionis à Christo vel Ecclesia collatæ, siue erga omnes, siue erga certos fideles, ad eum fermè modum, sicuti qui iuris Doctor creatus is potestatem accipit iudicandi de rebus in iure controuersis, vel ex cathedra publicè docendi, sed tantum remotam & incompletam, quæ in actum exire non potest, donec accepta iurisditione, alicubi iudex, vel accepta cathedra alicubi professor constituatur.


- 2 In tribus casibus omnis sacerdos à peccatis absoluerè potest. Primò, si confessio sit tantum de venialibus. Secundò, si confessio sit de mortalibus, à quibus pœnitens antè absolutus fuerat. Tertiò, in

mortis

in foro articulo ab omnibus peccatis. Discrimen
 est, quod primam & secundam facultatem
 Ecclesia aufert sacerdoti excommunicato, denun-
 tiato vel Notorio percussori clericorum. Tertiam
 vero non aufert: quia non expedit propter huius sa-
 cramenti necessitatem, quamvis absolute loquendo
 inferri possit, quæ omnia arguunt eiusmodi iurisdic-
 tionem sacerdotibus non diuino iure, sed ex Eccle-
 siæ concessione competere. Etenim iurisdic-
 tio vel immediate à Christo datur uti Apostolis & spe-
 cialiter S. Petro, & in successoribus suis duraturam,
 ut nunquam Ecclesia visibili in terris pastore, &
 summo capite destitueretur, atque ut ab ipso con-
 veniente ordine potestas spiritualis iurisdictionis in
 reliquos Dei sacerdotes ac ministros descenderet,
 adeo ut omnes post Apostolos iurisdictionem à
 summo Pontifice mediatè vel immediate acci-
 piant.

Iurisdic-
 tio in foro pœnitentiæ alia est ordinaria 3
 quæ alicui competit ratione officii quo fungitur,
 qualem habet summus Pontifex & eius pœniten-
 tarius in omnes Christi fideles. Episcopus & e-
 ius Vicarius in omnes suæ diocesis, Prælati exem-
 ptum subditos suos, parochus vel eius perpetuus vi-
 carius in omnes suos parochianos. Nec Reges nec
 Duces à iurisdictione ordinariorum, ubi sedem fi-
 xam habent, eximuntur, quamvis pontificio diplo-
 mate & consuetudine licentiam obtinuerint, quem-
 admodum approbatum eligendi. Alia iurisdic-
 tio est de-
 legata, quæ alicui competit ex concessione ordina-
 riæ de qua infra.

Episcopi, Parochi, aliique sacerdotes, propterea 4
 quod ipsi variis in locis sacrificantes eiusmodi facul-
 tate



tate opus habere videantur, cuius exposito & ap-
probato confiteri solet.

- 5 Jurisdictioni Ordinariorum aliquis subiicitur nō
tantum constituenda in diœcesi, vel parochia domi-
cilium, sed etiam quasi domicilium, siue habitatio-
nem ad tempus non admodum breue negotii alicuius
causa sicut explicavi lib. 1. Tract. 4. c. 12. n. 1. Vnde
scholaris v. c. cuius parentes Constantiæ morantur,
ipse verò studiorum causa Monachii versatur, vtriq;
paro. ho tam Monachensi quam Constantiensi con-
fiteri possit: atramē non potest ab vtriusq; diœceseos
Episcopo ordines accipere, sed solū à Cōstantiensi, vel
in cuius Ecclesia beneficiū obtinet, vt suo loco dicā.

NB. Sacerdos cōstitutus ab Episcopo loci cohorti
militum, etiamsi alii in aliis partibus in locum
mortuorum militum adsciscantur, tamen omnes
ipsius sacerdotis Jurisdictioni subiecti sunt, quam-
diu moraliter rem æstimando censetur vna cohors
sub tali duce constituta.

- 6 Ad domicilium vel quasi domicilium constituendum
tum animus requiritur, tum factum. Animus
consistit in proposito voluntatis permanendi per-
petuò vel ad tempus anni non modicum. Factum
consistit in actuali habitatione.

NB. Qui habet domicilium in ciuitate vel castro,
si ad villam ruralem se transferat recreationis causa,
vel vt ruralia exerceat ibiq; non electa sepultus de-
cedat, non in Ecclesiā villæ, sed suæ parochiæ sepe-
liendus est.

Qui in duabus parochiis domicilium habet in
quibus diuersis anni temporibus habitare solet, talis
censetur habere duas parochias, vt proinde ipsi li-
berum sit in alterutra malit sacramentum suscipere,
dum-

modo in utroque loco magnam animi partem
habitare solet. Nam alioquin si recreationis tan-
tum causa ad breue tempus in alterum locum sece-
deret, vnum parochum habere censetur, in cuius pa-
rochia principalis habitat.

Vagabundus (qui nullibi domicilium habens ver-
7 sur in loco sine animo habitandi vel manendi) con-
fiteri potest cuius parochi & exposito e. us loci, in
quo pro tempore versatur: Nam vagabundi vbique
conferuntur forum, etiam in externo.

Vagabundorum matrimoniis parochus assistere 8
non debet, nisi re bene examinata vel ad ordinari-
um delata.

Peregrinus (qui alibi domicilium habet & moratur 9
in loco animo non manendi) dum a parochia abest,
aliter exposito sacerdoti confiteri potest, etiam tempo-
re paschali idq; ex tacita voluntate ordinariu per-
sonis confirmata. Testimonium hi paro-
chus adferre debent paschalis communionis.

Peregrinus iudicatur & absoluitur in penitentia 10
in loco, etiam quoad reseruata peccata, secundum con-
suetudines loci eius in quo se iudicio submittit.

Qui ordinariam iurisdictionem habet, alteri sa- 11
cerdoti potestatem a peccatis absoluendi delegare
potest, in quo delegandi iure superior non depen-
det ab inferiore. Vnde sicut parochianos in scio, &
inuito parochi absolvere potest Episcopus, & dia-
conos quoslibet in scio & inuito Episcopo absol-
vere potest Papa, ita non minus eandem potesta-
tem aliis delegare possunt.

Delegatus subdelegare non potest, quia delegatus 12
non potest agere vltra id quod ipsi concessum est; con-
feruntur autem illi facultas tantum vtendi siue exercendi

iurisdictionem, non item alteri committendi, quia hæ duæ facultates diuersæ sunt, vt vna alteram secum non trahat, qua simili ratione vsuarius ius quidem habet vtendi, sed non alteri concedendi, id enim ad proprietarium pertinet. Excipe primò, nisi ipsi specialiter id concedatur, vt nimirum etiam possit subdelegare. Et verò id specialiter ipse iure concessum est delegato Principis, puta Papæ imperatoris, vt causam demandatam sibi possit alteri subdelegare, si partes consentiant. Limita tamen, nisi personæ industria specialiter delecta esse videatur, vti fieri solet in causis grauioribus puta, matrimoniis, quippe quæ solis Episcopis eorumve officialibus ex Curia committi solent. Præterea si commissum fuerit crucem prædicare, excommunicare, vel absoluerè aliquos, vel dispensare cum irregularibus, non potest alteri demandare, quia in his non plena iurisdictione, sed sola eius executio à Papa commissa censi debet, nisi sit legatus ex curia destinatus. Excipe secundò, Nisi alicui demandata sit vniuersitas causarum, ita vt quasi ordinario munere fungatur, in iudicandis omnibus causis certi generis, aut in certo loco. Duobus autem modis demandatur alicui iurisdictione ad vniuersalitatem causarum; vt eam quasi ex officio exercere, & interdum alteri subdelegare possit. Primò, si alicui delegetur iurisdictione, vt sit illud priuilegium perpetuum ratione dignitatis & officii sui, tunc enim talis potestas censeatur iurisdictionis quasi ordinaria. Exemplum habes in synodo Trid. Episcopis committente potestatem dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto prouenientibus. Atque hinc resoluit Henriquez, si Episcopus parochoyelpro-

uincia-

provincialis Quardiano committat facultatem absol-
vendi subditos à casibus referuatis, posse illos eius-
modi potestatis executionem alteri delegare, non
generatim, sicut ipsis commissa est, sed particu-
larim in certo casu vel ad certam personam absol-
vendam v.c. si Parochianus à parcho petat, vt ple-
nam quam ipse habet absoluendi potestatem suo
cooperatori, vel monasterij confessario concedat.
Quam tamen doctrinam intelligendam puto, si tale
absoluendi privilegium concessum sit ratione offi-
cij in perpetuum; secus si sit privilegium personale
pro hominis industriam datum,

Qui habet vicariam administrationem loco ab- 13
sentis v.c. Parochi, saltem causam aliquam particu-
larem subdelegare potest, non integrum officium:
quod breviter his verbis tradi potest. *Vicarius seu vi-
carius cooperatorem assistere potest, non autem alte-
rum Vicarium.* Excepto, si consuetudo id permittat
vicariis, vt non minus, quam parochi ordinarii, si
eos ad breue tempus abesse contingat, vicarium suo
loco substituere possint, quia instituens vicarium,
faciens talem consuetudinem implicite consentit in
talem substitutionem.

Is cui officium sed nudum ministerium seu sim- 14
plex iurisdictio in ordine ad certos actus committi-
tur, & non integrum officium iurisditionis, vt co-
operatori alteri subdelegare non possit sine speciali
licentia committentis, quo cum tamen non pugnat,
quia parochus, aliusque ordinarius specialiter com-
mittere possit cooperatori, aut delegato suo, vel al-
terum substituere queat nomine & autoritate de-
legantis.

Ad iurisditionem alteri demandandam requiri- 15

Yyy 3 tur

rum actualis consensus delegantis externo signo manifestatus. Prior pars probatur, quia delegare iurisdictionem est actus voluntatis eius hominis, qui potestatem habet. Ergo sine actuali voluntate ipsius non confertur alteri iurisdictione: sine iurisdictione autem irrita est absolutio, in foro poenitentiae. Altera pars probatur, quia delegatio iurisdictionis (sicut & aliae concessionem) fieri debet modo humano & sensibili, ut ab altero cognosci & acceptari possit, & ideo non sufficit mera voluntas interna, sed eam verbo scriptura aut facto sufficienter manifestata esse oportet.

16 **N**e ratihabitio sperata in futurum, neque in praesentiarum rationabiliter praesumptus consensus, si re ipsa non adfuit, ad iurisdictionem conferendam sufficit. Nam sacramentum poenitentiae inualide confertur ab eo, qui iurisdictionem actualem non habet: Sacerdos autem absolvens spe futurae ratihabitationis caret iurisdictione: quia ut supra dixi, iurisdictione delegata non acquiritur sine consensu delegantis, quem tempore absolutionis delegans non habet, cum rem ignoret. Ergo absolutio inualida est: neque verò ratihabitio subsequens efficere potest, ut absolutio ante data conualescat, quia valor sacramentorum pendere non potest à futuro euentu contingente. Vnde illud Nauariae, *Sacramentum quod ab initio nullum est, nullà ratihabitatione etiam Papae validum fieri potest.* Quod ad praesumptionem consensus praesentis attinet, licet illa rationabilis sit, tamen nihil confert ad valorem sacramenti, si re ipsa consensus signo quocumque declaratus est consequenter iurisdictionis commissio deficit. Et haec doctrina etiam locum habet in sacramento matrimonii ad cuius substantiam post Concil. Trid. requiritur praesentia

sentia pastoris ordinarii, cum enim licentia acquisita ad valorem actus necessariò antecedere debent. I. si quis mihi §. iustum ff. de acquir. hæred. consequens est, quod sola spes ratihabitationis postea futura, vel falsa existimatio, seu præsumptio consensus, præsentis non sufficiat ad præstandum matrimonii valorem. Aliud vero dicendum est de sacramentis, quibus, quippe ad quorum administrationem non requiritur consensus pastoris ordinarii, ita ut sit de substantia actus, sed solum ut debitus ordo in Ecclesia seruetur ad quod sufficit plerunque rationalis præsumptio præsentis consensus, aut ratihabitationis secururæ.

Qui habet facultatem generaliter delegatam v. c. 17. parochus ab Episcopo absoluendi à casibus reservatis potest eam alteri sacerdoti committere, quia non decet Episcopum vel parochum prioris esse conditionis, quam subditos, cum igitur iure, quo hodie utimur, perinde parochi sicut Episcopi alique prælati exempti idoneum sibi confessarium deligendi habeant, consequens est, eos omnes absolvi posse ab eiusmodi casu, tanquam qui eo loco superiori reservatus non sit. Quod contrarium sentientes asserunt iurisdictionem delegatam non extendi ultra personas in delegatione expressas, id intelligitur de certo genere personarum. Nam si delegetur potestas respectu omnium subditorum, seu totius communitalis, ex quadam æquitate censerit debet, comprehensus esse etiam partes communitalis, quam interpretationem merito facimus in re favorabili; eiusmodi est hoc principis beneficium casuum reservationem auferens.

- 8 Confessarii Ordinum mendicantium, omnes Christi fideles à quibuscunque sententiis, censuris aut pœnis Ecclesiasticis absoluerè possunt, exceptis iis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, vbi nota, hoc priuilegio nullam concedi facultatem super irregularitatibus, quia illæ non per absolutionem, sed per dispensationem tolluntur, cum non tam pœnæ sint, quam canonica impedimenta. Sodomitæ occulti Clerici absolui possunt ab Episcopo, & à mendicantibus.
- 19 Confessarii Ordinum mendicantium accipiunt iurisdictionem in foro pœnitentiæ à summo Pontifice accedente prælatorum suorum consensu, & expositione, & non per Episcopi approbationem. Nam Episcopi non possunt tam amplam iurisdictionem conferre.
- 20 *N* Religiosi extra ordinem suum ordinariè confiteri non possunt, & in ipso ordine non alteri, quam superior iis designauit: Ratio, quia per priuilegium generale non censetur derogari consuetudine vel statuto particulari nisi id exprimat. At religiosi tamen iter facientes, si socium sacerdotem Religiosum non habeant secum, ex præsumpta licentia superioris possunt alteri etiam seculari confiteri.
- 21 Probabile est, quod Confessarii ordinum mendicantium à censuris in foro conscientiæ fideles absoluerè possint, tametsi eorum confessiones non audiant, vinculum enim censure in foro conscientiæ tolli potest iniuncta pœnitentiâ saluari sine absolutione Sacramentali: Ratio horum est, quia priuilegium siue gratia à Principe data interpretandum est secundum naturam rei, quæ conceditur: Atqui absolutio ab excommunicatione aliaue censura non depen-

dependet à peccatis: Potest enim aliquis absolui à censura in foro conscientia, vt interim non absolua-
 tur à peccatis, quomodo certum esse ait Auila, Pa-
 rochos ab excommunicatione non reseruata absol-
 uere posse. Et go idem præstare poterunt delegati,
 nisi ipsis potestas limiteretur, qualis tamen limitatio
 in dicto priuilegio nulla apparet, quia verba eius ita
 intelligi debent accommodatè, vt singula singulis re-
 spondeant secundum naturam rei subiectæ, ideoq;
 absolutio à peccatis requirat antecedentem pecca-
 torum confessionem, non item absolutio à censu-
 ris: siquidem ab his absoluere ordinariè non sole-
 mus audita prius confessione.

Facultas audiendi confessiones, aut absoluendi 22
 à casibus reseruatis mortuo concedente non extin-
 guitur, quia facultas audiendi confessiones, & ab-
 soluendi à reseruatis, est gratia, fauor & beneficium
 eius, cui facultas talis conceditur, gratiam autem
 seu beneficium Principis decet esse mansurum, Reg.
 16. in 6. Et praxis etiam huic sententiæ fauet. Nam
 mortuo Episcopo confessarii ab ipso expositi per-
 gunt sua facultate vti, donec à capitulo vel successo-
 re reuocetur, quin & sacellanos seu cooperatores à
 Parochis ad audiendas confessiones assumptos, iis
 mortuis, videmus suo officio fungi, donec à succes-
 soribus amoueantur.

Potestas delegata ad iustitiam, siue iurisdictio- 23
 nem contentiosam mortuo delegante expirat, si res
 integra sit, videlicet si delegatus iurisditione non-
 dum vti ceperit: Ratio, quia iurisdictio ad iustiti-
 am alicui delegata, habet rationem mandati & non
 gratia. Mandatum autem expiât morte mandan-
 tis, deinde delegatus ad iustitiam, vices delegantis

Yyy 5 gerit,

gerit, eiusque personam repræsentat; Cum ergo mortuo delegante extinguatur iurisdictio ipsius, consequenter etiam extinguatur in delegato, quia extincto iure auctoris, extinguatur ius acceptoris. At vero delegatus ad confessiones audiendas, iudicium in foro pœnitentiæ exercet, non in personæ delegantis, sed in persona Christi, & auctoritate per ordinis potestatem. Deinde iurisdictio ad audiendas confessiones non habet rationem mandati, sed gratiæ, cuius ius efficaciter acquiritur ipsi delegato, in eoque perpetuo manet, donec reuocetur.

Corollarium I. si Episcopus alicui v. c. Decano Ecclesiæ collegiatæ iurisdictio in prima, ut vocant, instantia, gratiosè concessit, ut sit accessoria eius officio, illique quasi iure ordinario competens non extinguatur morte concedentis, cum sit fauor; quamuis à successore reuocari possit, si per modum gratiæ & non per modum contractus aut transactionis commissum fuerat.

Corollarium II. Facultas alicui ab Episcopo alicuius Prælato concessa eligendi confessarium non expirat morte concedentis (qualem facultatem hinc aulici acceperunt à Reuerendissimo Iohanne Suicardo,) cum sit gratia & priuilegium, non mera delegatio seu mandatum.

Commissio particularis in fauorem alicuius, si necessaria sit, non extinguatur morte committentis, etiam re integra exempla habes. Si Papa vel Episcopus alicuius supplicatione motus mandet inferiori ordinario ut supplicantem ob excommunicatione absoluat à casibus reseruat, vel dispense cum illo in impedimento matrimonii in petitione debiti, in voto vel iuramento, atque ante ceptam executionem moriatur

garis, qui mandauit, nihilominus executioni locus est. At verò si sit delegatio vel commissio voluntaria, quæ se habet instar facultatis, hæc expirat morte cōcedentis, si executio nondum cepta sit: Ratio discriminis est, quia in commissione necessaria ius acquisitum est ei, qui absoluedus, aut quo cum dispensandum est, ideoq; est gratia facta per absolutam cōcessionem committentis, solumq; exigitur executio committarii, quam is necessario facere compellitur. At verò in commissione voluntaria nulli ius quæsitum est, neq; enim commissario cum non in fauorē eius delegatio sit facta, neq; alteri quo cum v. c. dispensandum est, quia delegati liberæ voluntati relinquuntur velit ne dispensare nec ne; ideoque est gratia faciendæ & non facta, quare illa perit per mortem delegantis (nisi sit delegatio facta auctoritate sedis seu dignitatis, quæ nunquam moritur) hæc vero non perit re integra.

C A P. XI.

De approbatione Confessariorum.

Ure nouo Trid. sess. 23. c. 15. de reform. approbatio sacerdotum requiritur ad audiendas confessiones secularium, etiam sacerdotum, non item Regularium personarum; Nam illi confiteri possunt cuiq; sacerdoti, quem Prælatus ipsis secundum ordinis statuta constituerit, tamen si ab Episcopo approbatus non sit. Ratio, quia ante Cnncil. Trid. Regulares poterant confiteri, etiam non approbatus ab Episcopo, à quo iure antiquo recedendum non est, nisi quatenus inuenitur expressum. Cū igitur in dicta cōstitutione nulla fiat mētio de confessionib. regulariū sed

sed

sed tantum secularium, satis colligitur, mentem Concilii fuisse circa Regulares, nihil in haere nouari, sed eos curæ ac vigilantia suorum prælatorum permittere.

NB. Qui beneficium obtinuerunt, cui cura animarum annexa, eo ipso ad confessiones audiendas approbati censentur, ut proinde alia approbatione opus non habeant.

- 2 Etiam Doctores & Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, ab Episcopis approbationem ad audiendas confessiones petere debent, & examini se sistere interdum non ob defectum scientiæ, sed ob defectum experienciæ & praxis, à qua tamen est, ut non examinentur ob præsumptam suspicionem.
- 3 Episcopus peccat, si sacerdoti idoneo sine iusta causa approbationem neget: Ratio, quia approbatio hæc non est gratia, seu priuilegium, quod ex libera voluntate concedentis dependet, sed est authentica declaratio seu testificatio, personam habilem & dignam esse, cui iurisdictio ad confessiones excipiendas conferri possit: Huiusmodi autem testimonium sacerdotibus ad id ordinatis, si scientia & prudentia instructi sint iure debetur.
- 4 Non pauci DD. existimant, si Regulares ab Episcopis repellantur, quando manifeste idonei sunt, nihilominus ad secularium confessiones audiendas exponi posse. Quamuis contrariam sentiant Suarez Coninck, eò quod Clemētina illi, in qua id habetur à Tridentina constitutione derogatum sit.
- 5 Sed respondent Nauarr. Rodriq: Eiusmodi clausula derogatoria generali non tolli priuilegium speciale clausum in corpore iuris, cuius rationem esse dixi lib 1. Tract. 4. c. 23. q. 4. n. 26, quia correctio iurium

mentem
ere noua-
elatorum
cura ani-
audiendas
obatione
ogia, aut
em ad au-
xamini se
e, sed ob
en est, vt
onem,
sine iusta
approba-
od ex li-
ed est au-
am habi-
fessiones
autem re-
i scientia
s ab Epi-
nei sunt,
audiendas
nt Suarez
haberur
odi clau-
ium spe-
nem esse
ectio iu-
rium

ritim vitanda sunt, quare in generali derogatione non censetur comprehensum priuilegium speciale clausum in corpore iuris, si ob specialem rationem exceptum videri possit, qualis hic omnino apparet.

6
Approbatio sacerdoti semel collata ob iustā cau-
sam ab Episcopo reuocari potest, maximè reexami-
natis & deprehensis indignis, vt tum securitati con-
scientiæ ipsius, tum verò ouium commissarum salu-
ti prospectum sit.

7
Approbatio sacerdotis, & delegatio iurisd. et o-
mnis ad confessiones audiendas inter se differunt.
Quia vt ait Lamas, 1. Approbatus Ordinarii iudi-
cio, siue sufficiens declaratus, non eo ipso iurisdic-
tionem recipit: Approbatio enim est actus intelle-
ctus, vt pote iudicium siue sententia, traditio autem
iurisdictionis debet esse actus voluntatis superioris.
Vnde etiam vna siue alia, quandoque confertur, ali-
quando simul v.c. si Episcopus aliquem exponat seu
mittat ad confessiones excipiendas, eo ipso appro-
bare illum censetur.

8
Approbatur ab vno Ordinario, si ad aliam diæce-
sim veniat, noua approbatione indiget. Patet ex Cō-
cil. Trid. Ratio, quia ad cuiusque Episcopi officium
spectare videtur, vt in sua diæcesi idonei confessarii
exponantur, qua in re non semper fidem habere po-
test aliorum Episcoporum iudicio, sed interdum
merito timere, ne vel alii Episcopi minus idoneos
approbent, vel tamen si approbati in alia diæcesi ido-
nei fuerint ad confessiones audiendas, non tamen
in sua sint, vbi aliæ constitutiones, & peccatorū re-
seruationes, aliud hominum ingenium, alia institu-
ta & commercia vigent. Si tamen Episcopi sint con-
tenti approbatione aliorum Episcoporum maior
tunc

tunc approbatio non requiritur, aliàs si non contentus nullæ sed irritæ erunt absolutiones.

- 9 Spectato iure communi eius Episcopi approbatio requiritur in cuius diæcesi confessiones audiendæ sunt.

C A P. XII.

De Casuum reservatione.

- 1 **P**apa solus nunc iurisdictionem necessariam ad peccatorum absolutionem diuino iure in sui electione atque ordinatione accipit, reliqui verò Episcopi & Prælati exempti iure Ecclesiastico à Papa, qui proinde ipsis iurisdictionem licitam conferre potest, vel respectu personarum, quosdam ab eorum iurisdictione eximendo vel respectu peccatorum quorundam absolutionem sibi reseruando. Et simili ratione, cum parochorum iurisdictione ab Episcopis vel à Prælati, habentibus Episcopalem iurisdictionem, immediatè proueniat, poterunt hi illis in foro conscientie limitatam potestatem dare, quosdam casus grauiores suo iudicio reseruantes. Et enim si in foro externo, non tantum Ecclesiastico, sed etiam civili, vfitatissimum est, vt causæ grauiores superiorum iudicium examini reseruentur, cur non idem fiat in hoc pœnitentiæ foro, vt nimirum crimina grauiora securius corrigantur, & salubriora his remedia adhibeantur, tum verò ob difficultatem veniæ impetrandæ, fideles ab eiusmodi sceleribus absterreantur.
- 2 Papa nullum peccatum reseruare solet, nisi propter annexam censuram excommunicationis. Vnde si Papa aliquem ab excomm. absoluit, potest postea confessarius absoluerè à peccato, cui annexa erat excommunicatio. Sola

Sola mortalia, eaq; non nisi externa & opere consummata peccata referuari solent. Venialia enim cum ad eorum confessionem nemo obligetur, non solent referuari, frustra enim referuarentur. Interna possunt quidem referuari, eo quod iurisdictio non minus ad absoluendum à peccatis internis quam externis conueniente ordine à superioribus ad confessarios inferiores descendit, ideoq; vtraq; potestas libertate seu cum restrictione conferri potest: sed externa solum referuari solent, quia interiorum peccatorum referuatio non ita necessaria est ad Ecclesie gubernationem, quippe quæ externa potissimum spectare debet. Dixi consummata, quia crimen non intelligitur, nisi sit consummatum: nam v. c. attentatio homicidii non est homicidium.

Homicidium voluntarium etiam occultum communi Ecclesiarum consuetudine Episcopis referuatur, quæ verò alia peccata (v. c. crimen incendiarii, falsarii literarum, sacrilegium, violatio loci sacri, sortilegium, crimen scandalosum, ob quod etiam publica poenitentia imponebatur, &c.) in qualibet diocesi referuata sint, ex consuetudine & diocesali constitutione petendum est.

Gravis & insolita casuum multorum referuatio in diocesi, etsi illicita sit, quippe Episcopis concessa potestate, vt vtantur in ædificationem, & non in destructionem, sicut videre est in Trident. sessione 14. cap. 7. tamen valida est, & à parochis obseruanda, non tollatur.

Regularibus prælatis certus modus præscriptus referuandi peccata v. c. in Constit. Clementis III. mandatum est, vt præter casus sequentes, qui referuari possunt, quamuis non debeant, alii non refer-

refer-

reseruentur sine Generalis Capituli in toto ordine
 discussione. 1. Veneficia 2. Apostasia à Religione.
 3. Nocturna furtiua egressio è monasterio. 4. Pro-
 prietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum
 mortale. 5. Iuramentum falsum. 6. Procuratio seu
 auxilium ad abortum faciendum post fœtum ani-
 matum. 7. Falsificatio sigilli monasterii. 8. Furtum
 de rebus monasterii. 9. Lapsus carnis voluntarius,
 opere consummatus. 10. Occisio seu grauis vulne-
 ratio. 11. Malitiosum impedimen- u aut apertio liti-
 rarum à superioribus ad inferiores, & è contra.

7 Si prælatus existimet expedire, vt facultatem ab-
 soluendi à casu reseruato, alteri sacerdoti det, in
 concedendo facilis esse debet. Ratio, ne sacramen-
 tum Confessionis, quod in remedium animarum
 institutum est, nimis graue accidat, atq; occasio ca-
 piatur reticendi peccatum, cum sacramenti irreue-
 rentia, & propriae salutis iactura.

8 Si prælatus expedire iudicet, vt ipsemet casum re-
 seruatum cognoscat, & pœnitens extra sacram con-
 fessionem explicare nolit; Ordinarie integra omni-
 um peccatorum confessio ei faciendæ est, interdum
 tamen ob moralem impossibilitatem, vel ob graui-
 um negotiorum impedimentum, sufficit solum ca-
 sum reseruatum audire, & ab eo directè absoluer-
 cum onere, vt reliqua peccata inferiori sacerdoti ex-
 plicentur, quam consuetudinem pœnitentiatorum
 Romæ esse testatur Canus.

NB. Omnia peccata vni sacerdoti explicanda
 sunt, ordinariè & per se, non item in casu extraor-
 dinario & accidentali, sicut cernere est in eo, qui v-
 num, aut plura peccata confiteri oblitus est, vel ob
 periculum reuelationis explicare non potuit.

Si

Si confessarius peccatum aliquod confitentis intelligat esse reseruatum superiori, ordinariè non debet eum absoluerè, sed ad superiorem mittere, vel absoluendi potestatem ab eo petere, patet ex Trident. & ratio est; quia ad integritatem sacramentalis Confessionis pertinet, vt de omnibus mortalibus fiat, coram legitimo iudice, qualis ille tantum est, qui potestatem habet, de integra causa cogno- scendi, vt absolutio ab eo ritè pronuncietur.

Propter aliquam necessitatem (v. c. si laicus com- muni- 10
nicare, aut sacerdos celebrare debeat, & supe- riorem distans adire non possit) licitum est infe- riori Sacerdoti absoluerè à peccatis, quorum vnum aut plura reseruata esse scit, imposito onere pœni- tenti, vt reseruata sola superiori indicentur, vel ab- soluendi potestas ab eodem petatur: pertinet enim ad dignitatem S. Eucharistiæ: idem dicendum de sententia excommunicationis. Cum enim excom- munitio, v. c. iure tantum positio, arceat ab vsu S. Eucharistiæ ac pœnitentiæ, cessat eius obligatio in casu magnæ necessitatis: quare si excommuni- catus ob vitandam infamiam S. Eucharistiam per- cipere potest, multò magis in tali casu à peccatis ab- solui, non obstante excommunicatione.

Talis, qui communicandi necessitate constrictus, I
superiorem accedere tunc non potest, vt à peccato si reseruato absoluat, non est obligatus, vt infe- riori Sacerdoti confiteatur, si scandalum cesserit, & communicaturus & celebraturus existimet se cõ- munitum. Ratio, quia nemo per se loquendo obliga- tus est, vt idem peccatum bis confiteatur. Talis tamen idem peccatum reseruatim bis confiteri de- bet, videlicet non tantum inferiori, sed etiam

Zzz

postea

postea superiori. Ergò talis obligatio imponi non debet. Cur autem dixerim per se loquendo: ratio est, quia per accidens, si pœnitens alia peccata non reseruata habeat, vnà cum iis etiam reseruata confiteri debet, vt confessarius pœnitentis statum rectè cognoscat.

12 Qui in Excommunicatione constitutus per ignorantiam bona fide, vel quia existimauit, se legitime ab inferiori absolui posse, absolutionem petit, vnde absoluitur à peccatis, quia aliqualis necessitas viget: Siquidem pœnitens ægro animo, discedet ab illaque absolutione, cum ex sua parte benè dispositus sit ab excommunicatione; tamen annexa non absoluitur. In mortis articulo seu periculo siue ex infirmitate, siue ex iudicis decreto (etiam probabiliter, v. c. periculo perpetuæ amentia, belli futuri conflictu, partu periculoso) etiam excommunicatus hæreticus ab omnibus peccatis absolui potest. Cur autem Ecclesia omnibus sacerdotibus in mortis articulo hanc potestatem tribuit; Ratio est, quia peccator in tali casu, tum iure diuino, tum ex naturali charitate erga se ipsum ad confitendum obligatur. Quæ ratio obligationis æquè locum non habet, & si aliquis propria sponte v. c. in bello periculum mortis adeat.

13 Si sacerdos iurisdictione præditus adsit, vel vocari possit, sacerdos simplex seu iurisdictione carens, ius absoluendi non habet in mortis articulo. Ratio, quia sacerdotem simplicem potestas absoluendi à quibuscunque peccatis in mortis articulo conceditur iure extraordinario ob rationem necessitatis, ne hac occasione (si absolutio denegetur) aliquis pereat. Ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria-

ordinaria potestas, per regulam Abbat. *Cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus preget necessitas.*

Similiter parochus in mortis articulo absolueri non potest à reseruatō Episcopo, si adsit Episcopus aut priuilegiatus, aut facillè accersiri possit, nisi alia sit diœcesis necessitas.

Qui propter mortis periculum à peccatis reseruatō absolutus est, cessante periculo superiori se sistere non debet. Ratio, quia in mortis articulo omnes sacerdotes non indirectè, & per concomitantium; sed per se ac directè ab omnibus omnino peccatis absoluendi potestatem habent. Excipitur tamen: Nisi peccato annexa sit censura excommunicationis superiori reseruata, tunc enim absolutus cessante mortis periculo, sistere se debet superiori, ad quem de iure ordinario absolutio pertinet, non iterum absoluator, sed ut mandatum eius accipiat.

C A P. XIII.

De officio & obligatione Confessarij.

Scientia opus est Confessario, ut rectè suo munere fungatur, vnde si scientia requisita non instructus, exercet munus Confessarij, grauiter peccat. Ratio, quia si Medicus imperitus peccat, committens se Corporum Curationi, & Iudex imperitus ad decisionem causarum, quantò magis spiritualis iudex ac medicus animarum. Igitur discernere possit Confessarius inter peccatum & peccatum, inter mortale & veniale saltem in genere: nam in particulari exercitissimus quisque hæsitabit. Item cognoscere debent quæ spectant ad sacramenti peccata.

nit. essentiam, confessionis integritatem, sigillatim quibus criminibus annexa sit excomm. quæ peccata superioribus prælatis reservata, quæ restitutionem exigentia, si Clericorum Confessiones audiendæ sint, quibus casibus incuriatur suspensio vel irregularitas.

Nota tamen ea, quæ enumeravi, non est necesse confessarium sigillatim & exactè cognoscere, sed satis est, in difficilioribus dubitare posse, sibi non minus fidere, & doctiores consulere. Habenda est etiam ratio loci: vbi confessiones audiendæ, v. c. pagi & vrbes, vbi multa commercia. Qui verò de sufficientia sua dubitat, debet acquiescere arbitrio viri docti, in d. subditus iudicio superioris.

Curatis Confessariis siue animarum pastoribus magna obligatio incumbit, vt scientia & bonæ vitæ exemplo commissam sibi plebem spiritualiter pascant, & perire non sinant.

2. Sacerdos curatus debet subditorum confessiones excipere, quotiescunque ii iustam confitendi causam habent, & opportuno tempore ac loco peccant, contra Medinam, Sylu. Armillam, ex stimantes parochum duntaxat obligari ad audiendos subditos, quando illi ex præcepto confiteri tenentur, sed prob. assertio, quia parochus ratione pastoralis officii debet subditis suis prouidere, & nequaquam subtrahere ea, quæ ad spirituale ipsorum commodum & profectum spectant, sed ex frequenti confessione ac communionem magnum spirituale commodum, salutisque suæ remedium consequuntur subditi. Igitur tenetur parochus ministrare.

3. Si sacerdos curatus præsumere possit subditum iustam causam habere confitendi alteri sacerdoti, debet

debet illi petenti licentiam dare. Est communis. Sin autem curatus licentiam, quamvis malè neget, non videtur valida confessio alteri facta. 2. quia in Ecclesia receptum est, vnicū esse casum periculi mortis, in quo alteri sacerdoti confiteri liceat, si proprius non adsit, vel haberi possit. Secundò, cum proprium, vt fideles omnes proprio sacerdoti confiteantur ob commune Ecclesiæ commodum ac convenientem gubernationem institutum sit, non debet ob priuatum commodum, priuata DD. interpretatione limitari ac restringi, præsertim, quod multi hac ratione confitendi, impedimentum falsò præcedentes, pastoris siue iurisdictioni se subtrahere possent.

Tempore pestis grassantis Confessarius cautio-⁴ nem aliquam adhibere debet, vt ipse non inficiatur & occumbat, sed plurius prodesse possit, vnde infirmi obligati, si commodè fieri possit, vt è cubiculo vel domo egrediantur ad fenestram, parochio foras stante; proderit etiam, si tempore pestis fideles pro concione admoneantur, vt qui sani sunt, ad sacram confessionem maturè veniant in Ecclesia audiendi.

NB. Tempore pestis grassantis, item ante conflictum cum hoste, satis est interdum (ob periculum in mora) vnum vel alterum peccatum singulorum pœnitentium audire, etiam coram aliis explicitum intellexisse, vt absolutio conferri possit: quia sicut pœnitens secundum omnes Dd. excusatur, quo minus integram peccatorum confessionem facere teneatur, si ex ea mortis periculum sibi imminet, ita etiam excusari videtur confessarius, quo

Zzz 3 minus

minus integram confessionem audire teneatur, ex qua sibi mortem probabiliter timet.

NB. Peste affectus, & cum aliis in Xenodochio lecto affixus, potest peccata sua aliis audientibus confiteri, etiam scandalosa cum infamia, si occultè non possit propter periculum inficiendi confessarium, & confessarius abhorreat. Probat ex eo, quia in mortis articulo constitutus, si aliter non possit, ex lege charitatis erga seipsum obligatur, secundum probabilem Dd. sententiam, ad confitendum coram aliis saltem ea peccata, quæ neque cum scandalo, neque cum graui sua infamia, vel simili detrimento iuncta sunt. Atqui in hoc casu poenitens, mortaliter rem æstimando, aliter confiteri non potest, quando si aliter, videlicet in secreto confiteatur mortem, allaturus sit, confessario audienti. Confirmo, quia ordo charitatis exigit, vt poenitens minus detrimentum famæ suæ, posthabeat maiori detrimento seu iacturæ vitæ, quam confessarius passurus est, præsertim si alii post mortem Confessarii, spiritali pastore destituantur. Communiter tamen sacerdos tum fiducia in Deum, tum præsertantibus pharmacis munitus, accedat ad singulos, vt eorum confessiones, saltem recensitis aliquibus peccatis, vt supra dictum est, excipiat.

NB. In casu necessitatis, si plures communi naufragio, peste, vel ex conflictu allati, mox animam exhalari existimentur, potest, imò etiam debet omnes simul absolueret formula plurali: *Ego vos absoluo à peccatis vestris*, dummodo, qui ita absoluuntur, confessionem præmiserint peccatorum, saltem generalem, si in tali casu speciatim peccata explicare non possint. Idque ex communi doctrina.

Con-

Confessarius pœnitentem ignorantia crassa & mortaliter culpabili (alicuius rei scitu necessariz,) laborantem monere debet. Ratio, quia pœnitens Confessario monitus, vel retractabit suum peccatum, ut absolutionem mereatur, vel, etsi non retractet, causam tamen intelliget, cur Confessarius absolutionem neget, eoque malo percussus, & conscientiz stimulis actus, postea fortasse se corriget. Quod si pœnitens labore ignorantia inuincibili, aut saltem mortaliter non culpabili, aut saltem mortaliter non culpabili, & ex admonitione fructus non speretur, dissimulare debet. Nam: Ratio medium à fine desumitur. Finis autem correptionis est, præsertim, quam Confessarius adhibet, est bonum concepti. Ergo, eo cessante, omitti debet: Nam frustra niti, & nil aliud, quam laborando odium querere, extremæ dementiæ est, inquit ille. v. c. Si matrimonium, ob latens impedimentum, inuaidum sit: Si maritus, ob castitatis votum ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum coniugis consanguinea commissum, facultate petendi debiti priuatus sit: Si pœnitens, per ignorantiam aliena bona possideat. Quod si tamen Confessarius intelligat pœnitentem in eiusmodi casibus laborare quidem ignorantia inuincibili, sed detecta veritate maius commodum quam incommodum proventurum esse, debet errantem instituere præcipiente charitatis lege, vel etiam iustitia, si ex pastoralis obligatione confessiones accipiat: cum enim eiusmodi error per se malum quoddam sit, & plerumque alia incommoda secum trahat, idè eo liberari pœnitens debet, si facile possit. Quamobrem prudentem confessarium multa considerare oportet;

ret; hinc quidem qualis & quantus error sit, in quo
 pœnitens versatur, facti an iuris? naturalis, diuini
 an humani? vtrum coniunctus cum irreuerentia sa-
 cramenti saltem naturali, veluti si matrimonium in-
 ualidè contrahendum sit, an cum periculo proprii
 damni, si v.c. defectus matrimonii, vel obligatio de-
 biti coniugalis non petendi, postea cognoscatur,
 vel ignorantia nunc quidem inculpara, postea cul-
 pabilis fiat, cum remedium non ita præstò futurum
 sit. An denique de detrimento tertiæ personæ a-
 gatur, vt si res aliena restituenda sit. Illinc verò con-
 siderare debet, quantum, & quàm diuturnum in-
 commodum ex monitione timeatur: fieri enim
 quandoque solet, vt pœnitens initio conturbatus
 animo, salutarem admonitionem respuat: postea
 verò mente sedata, eandem cum fructu recipiat, ac
 pareat. Contra verò accidit interdum, vt licet pœ-
 nitens consilio, vel præcepto confessarii pœniturus
 sit, v.c. dispensationem super matrimonio inualide
 contracto petiturus, tamen alia grauius incommoda
 timeantur; qualia sunt pœnitentis, vel putatiui con-
 iugis incontinentia, parentum vel liberorum infam-
 ia, familiæ querimonia ac lites, tali casu confessa-
 rius interdum dissimulare debet.

6 Impedimentum dirimens occultum, plerumque
 significandum est sponso in confessione, si nuptiæ
 nondum celebratæ, modò fructus aliquis speretur,
 & secuturus sit, idque partim ob reuerentiam sacra-
 menti, ne inualidè suscipiatur, partim ob multa in-
 comoda, quæ ex tali coniugio sequi solent. Imò
 licet agatur de impedimento matrimonii contracti,
 vel obligatione debiti non petendi, si tamen con-
 fessarius ipsemet dispensare, atque ita facile reme-
 dium

adhibere possit, plerunque dissimulare non debet, quia etsi nunc vincibilis ignorantia adsit, ea tamen successu temporis remoueri potest.

NB. Quotiescunque pœnitens dubitans de matrimonii valore, iure exigendi debiti, &c. ex confessario quærit, necesse est veritatem palam edicere. Cum enim pœnitens ortho eiusmodi dubio teneatur veritatem inquirere, & peritos præsertim animæ suæ pastores consulere, his autem consultis, si veritatem deprehendere nequeat, dubium practicè deponere, vt bona fide progredi possit, consequens est, quod confessarius consultus, & veritatem dissimulans, pœnitentem in errore confirmet, quod nefas.

Si confessarius consideratis circumstantiis arbitretur pœnitentem integrè confiteri, non debet eum interrogationibus fatigare (officium enim per se confessarii est, non interrogare sed audire confitentem.) Nam forum criminale & non pœnitentiarium procedit per vim coactiuam; pœnitentiarium autem per spontaneam voluntatem confitentis. Quod si verò putet confessarius pœnitentem non integrè confiteri, aut de eo dubitet, prudenter & cautè interrogationes formare oportet. Cautissimum verò confessarium esse oportet in formandis interrogationibus circa peccata carnis, vt ad particulares modos seu circumstantias non descendat, ne vel multa interrogando doceat pœnitentem peccata, quæ ante ignorabat; aut eidem, aut sibi ipsi causa existat turpisationis, vel saltem scandali occasionem præbeat pœnitenti, vt suspicetur, confessarium harum rerum curiosa inuestigatione oblectari.

- 9 Confessarius pœnitentē, dum peccata sua recen-
set, facilè interpellare non debet, interdum tamen
de numero, de consuetudine, aut alia circumstan-
tia necessaria interrogationem interponere licet.
Et hæc ideò ne peccata, quæ vix præ verecundia
pœnitens expressit semel debeat, postea repetat de
numero aut circumstantia denuo interrogatus.
- 10 Confessarius nunquam absoluere potest eum,
quem putat dispositum non esse, aut non integrè
præ posse confessum, sed interdum dimittere de-
bet, vt melius se præparet, nam dolor ex motu
supernaturali, & integra confessio, quatenus mora-
liter fieri potest, secundum numerum & speciem ad
substantiam sacramenti pertinent, ideo nisi pœni-
tens hæc duo habeat, absolutionis capax non
est, ideoque confessarius sacrilegium committit, si
talem ita dispositum absoluat. Plerunque tamen
expedit in ipsa confessione interrogationibus & ad-
monitionibus hominem iuuari ac dispositum red-
dere, nam ad rationem iudicii spectat, vt causa in-
tegrè cognoscatur, antequam sententiam ferat; sa-
cramentum autem pœnitentiæ habet se per mo-
dum iudicii, sicut dicit Trident. Ergo si pœnitens
propter imperitiam non integrè causam proponat,
ad officium confessarii, tanquam iudicis per se & or-
dinarie, pertinet defectum eius supplere, vt sacra-
mentum ritè ac debito modo perficiatur, id tamen
intellige pro capacitate confitentis.

C A P. XIV.

De sigillo Confessionis.

- 1 Sigillum Confessionis est obligatio strictissima
(sub pœna depositionis, quippe cum interdum
reue-

reuelatorem degradatum, & seculari potestati tradendum legamus) & detractionis in arctissimum monasterium) in omni casu obligans ad secreta (etiam post mortem confitentis) tenenda ea, quæ dicta sunt, in ordine ad sacramentalem absolutionem, etiamsi absolutio non secuta.

Ratio petitur ex perpetua traditione & praxi Ecclesiae, quia diuinum à Christo præceptum traditum fuit ut in nullo casu ynquam sacramentalem confessionem reuelare liceat, valdè quidem conuenienter naturæ & institutioni huius sacramenti, ne quod in salutem fidelium institutum est, eisdem noxium atque exosum fiat, cum si ob grauiorem causam, confitentem prodere concessum esset, facile talis licentia & alios casus inconcessos extenderetur, non sine graui sacramenti irreuerentia & humani salutis iactura.

NB. Si quis Confessario extra confessionem sacramentalem dicat: Hoc tibi secretum committo, tanquam sub sigillo confessionis, & confessarius, ita acceptet, orietur hinc obligatio tantum naturalis secreti, non item sigilli sacramentalis: quare ob grauius malum Reip. vel proximi innocenti auertendum, quandoque denuntiari poterit.

Confessarius enim obstante confessione, potest ea notitia vti, quam aliunde accepit, dummodo vna alterum non adiuuet, & scandalum cesset, v. c. Si sacerdos ob iudicia constituerat Caium de furto accusare, & postea Caius furtum confiteatur, accusationem postea confessarius nihilominus prosequi potest sine violatione sigilli; modo non vtatur coartatione confessionis, sed tantum iudiciis ante vel post confessionem acceptis, quamuis propter scandalum

dalum

dalum vitandum, præstat talem obligare, ut alteri sacerdoti confiteatur. Item parochus publicum concubinarium, usurarium, quem non absolutum à confessione dimisit, postea publicè à communione repellere potest, addita monitione, ut prius peccati statum describat.

4 Sub sigillum confessionis non tantum cadunt peccata confitentis, sed etiam complicitis, item circumstantiæ peccatorum, quas taceti pœnitentis interest, v.c. Si quis dicat, se spurium esse, nam alioquin non minus exosa redderetur sacramentalis confessio, quam si peccata ipsa manifestare licitum esset. Porro quæ nullo modo ad confessionem spectant, v.c. quod quis velit contrahere matrimonium, sub sigillum non cadunt, sed sæpè sub obligationem naturalis secreti.

5 Sub sigillum non tantum cadunt peccata omnia præterita, sed etiam quod positum non abstinendi in futurum.

6 Sigillum confessionis violat Confessarius, si generatim dicat Titium confessum esse peccatum mortale, casum reservatum, aut si peccatum veniale in specie reavelet; secus si in genere dicat, Titium sibi confessum esse venialia, vel benè confessum.

NB. Indirectè violat secretum, qui dicit, Titium minutissimis peccatis suis sæpè sibi molestum esse; significare enim videtur illum scrupulosum esse.

NB. Parochus audita confessione subditi habentis casum reservatum, dans literas ad vicarium, in quo expressè insinuat hunc habere casum reservatum,

hæretum, violat secretum, si sine consensu pœnitentis talia scribat.

Confessio non tantum expressè, sed etiam tacite reuelari potest. v.c. Si Confessarius duorum fratrum confessiones excipere soleat, & unum eorum commendet, quod exigua seu vix vlla peccata ad confessionem asferat periculum violandi sigilli, incurrere potest ob tacitam seu indirectam representationem alterius.

Confitentibus tamen ob indispositionem & absoluti non sunt, Confessarius testimonium dare debet factæ confessionis. Nam confessarius violat sigillum confessionis, si directè vel indirectè significet, se pœnitentem suum ob indispositionem non absoluisse. Hoc autem Confessarius significat, si aliis dans huius schedulam, neget propter indispositionem confirmatam ex eo, quod tale homini publicè petenti S. Eucharistiam perinde ac aliis danda est ad infamiam eius vitandam. Ergo ob eandem causam, perindè ac aliis schedula testimonii dari debet. Neque tunc confessarius mentitur, cum sit ipsi confessus, licet non absolutus. Neque cooperatur peccato, factam promotione: nam satisfacit officio suo, & alterius culpa est.

NB. Si qui simulatè confiteantur, vt hæretici solum ad vitandam infamiam, talibus neganda est schedula à confessario, ne eorum perniciosæ simulationi cooperetur.

Con-

- 9 Confessarius de peccatis ex sacramentali confessione acceptis, neque cum iis loqui potest, qui ea ante cognita habent, siquidem & hoc ingratum esse potest confitentibus, eosque à confessione abstinere, neque cum ipso pœnitente, cum ea res pudorem iniicere, & exprobrationem continere solear, quanquam si pœnitens prior loquatur, tunc eo ipso ipsi confessario manifestò licentiam tribuit.
- 10 Expedit vt confessarius nunquam etiam generatim, ac nulla persona nominata loquatur de peccatis cognitis in confessione v.c. in hac ciuitate committantur graua peccata. Nam eiusmodi reuelatione homines simplices offenduntur, putantes sigillum violari; tum quia communitas infamatur, quæ infamia in pœnitentes etiam tanquam membra retundat.
- NB. Violator secreti sigilli est, qui dicit, primus confitens, quem audiui, fuit adulter. Quid enim si alio tempore prioris sui dicti oblitus, dicat Tertium ante alios omnes sibi confessum esse; qualem historiam olim narrauit professor in Theologia morali. Simile est, si confessarius dicat. Hodie mihi sacerdos graue peccatum confessus est? Quid enim? si hoc audiens probè nouit, tantum 3. sacerdotes ipsi confessos fuisse, duos verò esse innocentissimæ vitæ, nonne violentam de tertio suspicionem concepturus est.
- 11 Confessarius interdum generatim monere potest, vt caueatur, vigiletur, sed maxima adhibita cautione, vt possibile non sit, pœnitentem in suspicionem venire.
- 12 Confessarius interrogatus iurare etiam potest, se nihil scire de peccato, intellige vt priuatum hominem,

heri, cui edicere liceat; imò obiurgare, si necesse sit, interrogantem, quod illum interroget.

Si confessarius proprium peccatum confiteri non possit nisi violando sigillum confessionis, debet illud reticere. Ratio, quia præceptum sigilli seruandi strictius & omni casu obligat, non item præceptum affirmatiuum confitendi omnia mortalia. Nam integritas formalis ac perfecta peccatorum enarrandorum, non est de essentia sacramenti, sed est tantum præcepti positiui, quod cum magna difficultate non obligat.

Vnicus est casus, quo obligatio sigilli sacramentalis cessat, si pœnitens licentiam dedit loquendi de peccato suo. Ratio est, quia obligatio sigilli, ex Christi institutione profecta, partim vtitur naturalis secreti ratione, partim reuerentia sacramenti, ne fidelibus exosum reddatur. Vtraque verò ratio cessat, si pœnitens confessario licentiam det, tunc enim neque iniuria ipsi infertur (nam sicut promissio ex voluntate promissarii, & depositum ex voluntate deponentis: ita & secretum ex voluntate committentis dependet) neque infertur irreuerentia sacramenti: siquidem id fidelibus nequaquam exosum, sed potius commendabile redditur, si sciant confessario concessum esse loqui de peccatis in confessione auditis, vnico illo casu, si pœnitens existimans sibi, id vtile fore, licentiam tribuat. Oportet tamen licentiam hanc esse omnino voluntariam, & nullo modo præsumptam; nam si præsumpta voluntas sufficeret, redderetur non minus odiosum sacramentum pœnitentiæ.

Si error in foro pœnitentiæ commissus fuerit à confessario, qui postea corrigendus est, debet pœnitens

tens

tens postea licentiam dare de peccato loquendi: si dare nolit, nihilominus confessarius errorem corrigere poterit, quia tunc proprie non loquitur extra consuetudinem, sed supplet, & proficit eam, quae ante inchoata & imperfecta manserat.

16 Si poenitens licentiam loquendi de peccatis suis intra confessionem dederit, reuocare deinde potest, eò quod notitia illa semper maneat sacramentalis, ideoque eius conditionis, ut confessarius nunquam illi uti liceat, nisi confitens velit. Quod si poenitens extra confessionem licentiam dedit, tunc, quia desinit esse notitia sacramentalis, perinde se habet, ac si secreti alicuius reuelandi facultas concedatur.

17 Præter confessarium, ad quem sigillum confessionis principaliter spectat, etiam aliarum personarum obligantur ad tuendum, ad quas sacramentalis confessio immediate vel mediate peruenit, v. c. astantes, interpretes, ii, quibus confessarius malitiosè peccatum manifestauit. Ratio, quia res in ordine siue intentione ad sacramentalem absolutionem manifestata, ex Christi institutione ac præcepto, usu & traditione Ecclesiae confirmata, hoc onus seu obligationem annexam habet, ut à nemine, ad quemcunque eius notitia peruenerit, si graui sacrilegio & irreuerentia sacramenti reuelari possit. Et sicut pacto & conuentione hominum efficitur, ut quicumque pignoris possessionem consequitur, ratione eius obligationem contrahat: ita etiam Christi præcepto, per Ecclesiae traditionem & communem fidelium persuasionem confirmato effectum est, ut quicumque confessionis sacramentalis notitiam consecutus est, ratione eius ad reticendum obligatus existat.

Si

Si confessarius cum licentia pœnitentis peccatum 18
 alteri manifestavit, non videtur iste obligatus sacra-
 mentali sigillo, nisi talis manifestatio facta sit ex cau-
 sa pœnitente ad sacramentalem absolutionem v. c.
 consulto superiori doctiore ad intelligendum casum
 propositum in confessione.

Qui scriptam confessionem reperit, non videtur 19
 sacramenti sigillo astrictus, quo minus in casu gra-
 vissimæ necessitatis reuelari possit, eò quod talis
 scriptura non sit confessio sacramentalis, sed tantum
 motè & per accidens ordinetur ad sacramentum
 confessionis. Arcitissimo tamen secreto naturali re-
 stor obligatur, vt mortale sacrilegii committat, si
 graua peccata consultò legat, & aliis manifestet,
 nec iudex ex tali notitia ad criminis inquisitione
 accedere potest, vel si processus institutus iam fuit,
 sciendi eum & pro infecto haberi oportet, quia li-
 ter eiusmodi scriptura nō sit confessio sacramenta-
 lis, est tamen via ad eam, ceditq; in irreuerentiam
 sacramenti, si occasione illius, quod in salutem ani-
 mæ a Christo institutum fuit, aliquis de trimentum
 patitur: legens leuia, & euulgans, peccat ve-
 ritaliter, non violans sigillum, sed tantum naturale
 secretum.

NB. Id casu grauissimæ Reipub. necessitatis, po-
 tuit reuelari huiusmodi scriptura, quatenus præci-
 pi necessarium est ad impediendum maius malum,
 respectato iure naturæ, minor iactura hominis, ta-
 men schedulam scribendi posthaberi potest. Excipe,
 si confessio in scripto sacerdoti data, ab eodem
 postea amissa esset, nam talis manifestatio facta
 sacerdoti per scripturam in ordine ad sacramen-
 talem absolutionem accipiendam, verè sacramenta-
 lis est,

Aaaa lis est,

lis est, ideoque sub sigillum cadit, ut ea nullo casu
quocunque homine sine licentia peccatoris reuela-
ri possit.

20 Pœnitens non obligatur sacro sigillo cōfessionis,
sed interdum lege naturalis secreti, ne aliquid ex cō-
fessione reuelet, quo vel seipsum sine iusta causa in-
famet, vel confessariis bonæ existimationi de-
trahat.

21 Etsi nunquam liceat alteri significare peccatum ex
sola confessione cognitum, accidere tamen potest,
ut liceat facto aliquo significare iis, qui peccatum
ante cognitum habent, eius confessionem factam
esse, v. c. si plures conspirarunt in nece[m] confessarii,
& Titius v. c. istud propositum confiteatur, potest ta-
lis sacerdos postea fugere, tamen si certus sit, socios
cōspirationis exinde in suspicionem vel cognitionē
venturos, quod Titius peccatū istud suum confessus
fuerit. Nam fugā suā sacerdos solū exhibet signum,
quod nullo modo spectatis omnibus circumstantiis
aptum est ad manifestandum peccatum secundū se,
sed solum ad peccati confessionem manifestandā iis,
qui peccatum secundū se ante cognitum habuerūt.
Sic etiam v. c. si confessarius hominem ob publica
latrocinia morte damnatum apud alios commēdet,
quod bene de peccatis suis cōfessus fuerit, nullo mo-
do violat sigillum, quia enim exhibet signū, quo co-
gnosci possit, hunc hominem commisisse latrocinium,
sed solum, ut iis qui latrocinia eius ante cognita ha-
bent, exinde colligant, quod illa confessus fuerit.
Imò etiam si ex fuga sacerdotis in superiori exemplo
confitendi periculum immineret, ne à sociis occi-
datur, tamen sacerdos potest fugere, cum id agen-
dos

Si sigillum non violer: quapropter ius naturale
 ipsi permittit, vt vitam propriam alienæ anteponat.
 Sed quia hic casus rarissimus & speculatiuus potius,
 quam moralis censeretur, ideo non est timen-
 dum, quod confessio inde odiosa reddatur.

Confessarius noticia, quam ex sola confessione ²²
 haufit, vti non potest in externa gubernatione, ad-
 ministratione sacramentorum. v. c. Paro. hus sacra-
 menta Eucharistiæ, extremæ vnctionis, matrimo-
 nii assistentiam, occultata causa, denegare iis non
 potest, quorum impedimentum ex sola confessio-
 ne sacramentali cognitum habet. Prob. quia sigil-
 lum confessionis, si secundum omnem suam latitu-
 dinem accipiatur, obligat sacerdotem non tantum
 in ordine ad alios, sed etiam in ordine ad ipsum con-
 fitentem, ne ei peccatum ex sola ipsius confessione
 cognitum, obiiciatur, exprobetur, aut in memori-
 am reuocetur. Talis autem exprobratio re ipsa
 accidit, si sacerdos confitenti suo propter auditam
 eius confessionem sacramentum Eucharistiæ, ordi-
 nis, &c. denegat, vel eum ab officio remoueat, ple-
 neque enim vel probabili suspitione deprehendet,
 si fieri propter peccata, quæ confessus fuerat, ideo-
 que sacramentum confessionis eidem graue & dam-
 nosum fiet.

Deinde probatur, quia forum sacramentalis pœ- ²⁷
 nitentiæ omninò segregatum est à foro externo gu-
 bernationis & iurisdictionis. Vnde non oportet
 notitiam sacramentalem extra illud forum secretæ
 penitentiæ ad publicam gubernationem exten-
 dere.

24 Si complex peccati confessario licentiam dedit, tunc potest alterum complicem speciatim examinare, si licentiam non accepit, tantum generatim quaerere debet, vtrum aliud praeterea peccatum admisit, quod animum grauet. Tunc autem etiam speciatim interrogare per notitiam illam sacramentalem non impeditur, si tale peccatum sit, de quo alius eiusdem conditionis personas interrogare solet.

Si confessarius non ex confessione complicis, sed extra confessionem, ex aliorum fideli relatione peccatum poenitentis cognouit, plerumq; speciatim examinare potest, imò etiam debet, negantem tamen absoluere cogitur, cum cogitare debeat vel alteri confessum esse, vel ob periculum iam confiteri non posse, aut eos, qui retulerunt, mentitos fuisse: siquidem *in poenitentia foro credendum est: confitenti sicuti contra se, ita & pro se.* Quod si confessarius criminis notitiam, etiam extra confessionem manifestam habeat, v.c. oculis fuit vidit hominem furantem, audiuit blasphemantem, adeoque omnibus circumstantiis consideratis, animaduertat confitentem, qui peccatum illud negat, dispositum non esse, sed simulatorem egregium, tunc absolutionem illi negare debet, ob honorem sacramenti.

C A P. XV.

De satisfactione.

Satisfactio (accepta pro compensatione) distinguitur à restitutione seu damni illati compensatione. Restitutio enim consistit in rebus, quia per eam res ablata vel eadem, vel in æquivalente restituitur. Satisfactio autem potius in actionibus consistit, quia per eam iniuria in personam redundans,

CONTRA

Contraria actione v. c. humili petitione veniæ, honoris exhibitionem, &c. compensatur.

Pro culpa mortali & correspondente pœna æterna, Deo satisfacere non possumus ex condigno (quippe peccato mortali infinitam malitiam continente, & ideò merente pœnam æternam) sed tantum ex congruo, quatenus misericordissimus Deus pro Christi merita, peccatoris pœnitentiâ, siue animi cōuersione, ad culpæ mortalis destructionem acceptat, nosque in gratiam recipit, & reatum pœnæ æternæ gratis remittit.

Possent quidem Deus verè pœnitentibus vniuersum debitum remittere & condonare, sicuti solet illi, qui per baptismum reseruantur, vel martyrium pro ipso subeunt, verum non ita peccata per pœnitentiam semper remitti, vt vniuersa etiam pœna condonetur, sed ita frequentius, vt temporaria aliqua pœna pro peccatis, seu in hac, seu in altera vita laenda restet: Illustria sunt sacræ scripturæ exempla, Patrum quoque autoritas, & Ecclesiæ vniuersæ persuasio ostendunt. Nam, *Et diuina iustitia ratio exigere videtur, ait Trid. vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui semel à peccati, & demonis seruitute liberati, & accepti Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non reformidant. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur vt occasione accepta peccata leuiora putantes, veluti iniurijs, & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur. Quemadmodum etiam in humanis, qui virum Principem graui iniuria offecit, interdum humili pœnitentia, prece & exhibitione*

hibitione amoris, veniam delicti imperat, & in amicitiam recipiatur, condonata illi mortis communitate pœna: at tamen, ut iustitiæ etiam publicæ satisfiat, pœna illa mortis in aliam mitiorem, temporariam commutatur. Imò hoc ordinarium est, ut si Princeps post latam sententiam mortis, Reo gratiam se præstare dicat, solum censeatur tollere mortis pœnam, non item pecuniariam, &c. Et hæc veritas confirmatur SS. Patrum testimoniis S. Iustini, exemplo Davidis, Irenæi, exemplo Zachæi, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Lactantii, Basilii, Gregorii, Hieronymi, Chrysostomi, S. Augustini.

Quod verò hanc doctrinam Patrum pro friuola æstiment hæretici, negantes, opera bona iustorum esse satisfactoria apud Deum & talem satisfactionem cedere in iniuriam Christi, quippe qui plene pro peccatis omnium satisfecerit, igitur quantumcunque homo peccauerit, credat modò peccata sibi remitti, vel potius non imputari propter Christum, nihil ipsi nocitura esse. Quod hæretici hanc doctrinam falsam esse spargant, id friuolum est & erroneum, quis enim sanæ mentis homo nuper exortis, paucis, obscuris istis homuncionibus fidem habeat? posthabitis antiquorum Patrum clarissimis testimoniis, de relicta totius Christiani orbis præiudicata sententia de operibus iustorum satisfaciendi pro peccatis vim habentibus, ex Christi procul dubio meritis, & passionis eius influente virtute.

- 3 Pœna temporalis ignis purgatorii, quatenus à Deo iustissimo iudice pro peccatis in altera vita infligitur, est effectus iustitiæ vindicatiue, quatenus verò per eam animæ infliguntur, non est propriè satisfactio.

satisfactio, sed satisfactio; quia animæ ibi sunt extra
statum merendi & satisfaciendi: quamobrem non
attenditur earum dispositio, patiendi voluntas &
ardentissima charitas; sed solum attenditur quanti-
tas peccatorum nondum expiatorum, quibus secun-
dam diuinæ voluntatis dispositionem pœna com-
mensurata infligitur. Cæterum homines iusti in hac
vita, sicuti bonis operibus gratiæ augmentum, &
premiu æternu per Christi merita ex condigno
mereri possunt, ita etiam pro pœna temporali in
purgatorio luenda ex condigno satisfacere. Et hæc
satisfactio reducitur ad iustitiam communicatiuam,
quæ supposita Dei promissione & acceptatione, o-
pus bonu, quod viator in statu merendi, ac satisfac-
iendi existens, exhibet, est aliquo modo æquiu-
alens pœnæ in altera vita luendæ. Nam etsi labor ipse,
ac difficultas operis in hac vita exhibitu, longè mi-
nor sit pœna in altera vita luenda; tamè considerato
statu operantis, & liberè se in hac vita subiicientis
Deo, longè maiorem vim habet pro peccatis satis-
faciendi ex Dei gratia, & Christi meritis. Et licet
opera bona iustorum per se habeant virtutem satis-
faciendi pro pœna temporali peccatis nostris debi-
ta, longè tamen magis, & certius satisfactoria sunt,
quatenus ex Christi institutione à sacerdote pecca-
tori præcipiuntur, in eum finem, vt per opera im-
posita virtute sacramenti peccatum etiam secun-
dam pœnæ reatum destruantur.

Sacerdos pœnitenti sacramentalem pœnitenti- 4
tam imponere debet, partim in vindictam peccato-
rum tanquam Iudex, partim ad remediũ animæ,
tanquam Medicus, patet ex Triden. Concil. Conc.
Carthag. Cabilonensi, Conc. Mogunt.

Aaaa 4 Quo

at, & in a-
tis comme-
publicæ sa-
m, tempo-
um est, vt si
Reo grati-
lere mortis
næc veritas
ustini, ex-
Tertullia-
Gregorii,
pro frivola
iustorum
satisfactio-
qui plene
quantum-
peccata sibi
Christum,
inc doctri-
& errone-
er exortis,
lem habe-
issimis te-
bis præiu-
satisfaci-
hristi pro-
uente vir-
atenus à
ra vita in-
quatenus
ropriè sa-
fatis.



5 Quo loco notandum, qui olim lapsi in graue peccatum, seu mortale frequenter à confessario interdicebatur sacra communio, donec per iniuncta bona opera satisfecissent, vt patet ex Genad. S. Leone, S. Augustino.

NB. Sacerdos operam dare debet, vt quatenus commodè fieri possit, conuenientes medicinas, siue satisfactiones, spectata qualitate imperet: tepidis orationem, iniustis Eleemosynam, intemperantibus ieiunium aliamve carnis afflictionem.

6 Pœnitens obligatur ad acceptandam pœnitentiam, si iusta est, quia clauis sacerdotibus nõ tamen ad soluendum, sed etiam ad ligandum datæ sunt. Ratio verò peti debet ex eo, quod satisfactio sit pars integralis sacramtēi, pertinens ad plenam peccati destructionem. Et si iam sacerdos potestatem habet, vt verè habet pœnitentem ligandi seu obligandi ad opus pœnitentiæ implendam, cõsequens est, quod pœnitens ipsi obedire teneatur. Contrarium tamen sentit Caiet. Nauarr. Sed non placet Laymanno, licet probabilis sit. Nam posita institutione sacramenti pœnitentiæ, ad eius integritatem ac perfectionem spectat Deo pro peccatis commissis ex sacerdotis imperio satisfacere, quod etiam Concilia & Ecclesie traditio confirmare videtur. Ad id verò in praxi inservire poterit sent. Nauarri, vt confessarius nunquam dimittat pœnitentes sine absolutione, si parati sint aliquam, quantumuis leuiorem, quam peccata mereantur, pœnitentiam acceptare.

Quod si pœnitentia Confitenti nimis grauis, vt difficilis videatur, neq; confessarius eam moderari vel mutari velit, tunc pœnitens saltem grauitè non peccabit, si non accepta absolutione, & alium confessarium quærat.

Obli-

Obligatio implendi pœnitentiam iniunctam, ob 7
 mortale, ex genere suo est grauis sub mortali, nisi
 leuitas materiæ excuset, aut pars pœnitentiæ absque
 contemptu omittatur. Obligatio verò ob iniunctâ
 pœnitentiam ob venialia, & ob mortalia à quibus
 ante e. iam absolutus fuerat, non est sub mortali,
 quia durum videtur fateri, tamen culpa contracta
 leuis sit, tamen obligationem per ea satisfaciendi
 grauem effici posse pro se loquendo. & durum vide-
 tur obligatum esse sub mortali satisfacere pro mor-
 tali, pro quibus semel iniuncta pœnitentia impleta.

Pœnitentia rectius imponitur à sacerdote, ante 8
 sacramentalem absolutionem, cum sit pars sacramē-
 ti materialis, & vt ordo iustitiæ vindicatiuæ melius
 seruetur, si pœnitens satisfactionem prius spondeat,
 quam absoluatur.

Opera quæ in pœnitentiam iniunguntur, debent 9
 esse aliquo modo pœnalia, seu afflictiua, quare ple-
 runq; conuenit esse externa, videlicet, oratio voca-
 lis, ieiunium, elemosyna. Talia enim opera magis
 satisfactoria sunt, quia magis afflictiua, quam inter-
 na, expedit tamen interdum pœnitenti imponere
 pietam aliquam meditationem, considerato statu il-
 lius, v. c. de morte, iudicio, pœnis inferni.

Magis conuenit, vt opera bona, quæ pœnitenti 10
 imponuntur, sint supererogationis, quamuis inter-
 dum non abs re faciet confessarius, si homini v. c.
 negligenti in Missa audiendi, præcipiat Missæ audi-
 tionem, alioquin sub præcepto, frangenti ieiuni-
 um, loco pœnitentiæ, etiam imponat Ecclesiæ ie-
 iunium aliàs mandatum. Si enim, vt aliqui solent,
 tali homini imperes, vt deinceps duas Missas festis
 diebus audiat, difficile obtemperabit, qui antea ne-

Aaaa s que

que vnam audire solebat. Denique magis conuenit, opus bonum imperari, quod ab ipso pœnitente præstandum sit, videlicet, vt ipsemet oret, ieiunet, eleemosynam largiatur.

Quare si eiusmodi opus exequi non possit, liberatur ab obligatione, neque tenetur alium substituere, qui exequatur. Interdum tamen personis debilibus morituris iniungi potest, vt current ab aliis pro tali, v. c. necessitate orari, peregrinari: tunc verò non opus illud, quod ab aliis perficitur, sed ipsa operis procuratio, quæ à pœnitente non sine labore vel sumptu fit, pœnitentiæ sacramentalis rationem habet.

11 Confessarius pœnitentiam imperaturus attendere debet tum ad peccatorum magnitudinẽ, tum ad statum pœnitentis, vnde si pœnitens, ex probabili causa de grauitate pœnitentiæ conqueratur, oportet mutare aut moderari pœnitentiam. Caveat verò sacerdos, ne talem pœnitentiam v. c. grauiora ieiunia &c. iniungat, vnde alii domestici suspensionem commissi criminis concipere possunt. Nec consultum est, vt rudibus & valde occupatis preces quotidianæ vnius anni aut mensis imponantur, sed interdum sub conditione, *quotiescunque in hanc peccati speciem incidetis, recites talem orationem*: multum enim id momenti habet ad peccati emendationem: doctis & studiosis quotidianæ preces imponi possunt.

12 Casus aliqui sunt, quibus confessarius leniorem, quam peccata merentur, pœnitentiam imponere debet. 1. Infirma pœnitentis corporis dispositio. 2. magnitudo contritionis. 3. tempus Iubilæi, vel
alte-

alterius indulgentiæ plenariæ, tum enim non cogitur pœnitens, nisi leuiorem pœnitentiam acceptare, quæ se habeat per modum Medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias.

Infirmis seu morituris plerunque aliis saltem bonis motus in Deum, suspirium in Deum, inuocatio nominis Iesu, vel si id non possit, mente concipiat, pœnitentiæ loco imperari potest. Deinde moneatur infirmus, vt pœnitentiæ loco ipsam infirmitatem & mortem impendentem Deo offerat in satisfactionem peccatorum. NB. Aliis pœnitentiam loco infirmi grauem iniungere, continet violationem sigilli.

Opus iniunctum in confessione habet vim expere operato delendi pœnam temporalem peccatis debitam iuxta Christi institutionem. Nam satisfactio virtute clauium imperata ac veluti eleuata, est pars sacramenti pœnitentiæ integralis à Christo instituta, vt per eam peccatum perfectè ac integrè videlicet, quoad restantem etiam pœnam, destruat. Ex quo tamen enim sequitur, quod pœnitentia quecumque omnem semper pœnam delet, sed tantò maiorem, quantò & ipsa maior, & pœnitens eam implens melius dispositus est: sicuti etiam sacramenta eò maiorem gratiam sanctificantem conferunt, quo melius suscipiens dispositus est.

NB. Plus valet modica pœnitentia à sacerdote imposta quam magna, quæ spontè assumitur, quia hæc non sicut illa vim sacramentalem habet.

NB. Peccatū veniale, quod aliquis implenda pœnitentia committit, non impedit effectū satisfactoris, vt si quis iniunctas præces negligenter oret. Prob. ex eo, quod suscipiens sacramentū cū affectu peccati venia-

venia-

venialis, fructus gratiæ particeps fiat, sicut dixi supra tract. 4. c. 6. n. 1. Ergo simili ratione implens pœnitentiam, cum peccato veniali particeps efficitur remissionis pœnæ, siquidem neuter fructus provenit ex virtute operantis, sed ex opere operato sacramenti.

15 Qui opus pœnitentiæ in statu peccati mortalis implet, satisfacit quidem præcepto (cò quòd substantiam operis præcepti impleat; modus autem operandi non cadere solet sub præceptum, & licet imperetur modus à confessario, v. c. differendo pœnitentiam, cum substantiam præcepti seruet, solum peccat venialiter ob violatam accidentalem eius circumstantiam:) satisfactionis tamen fructus tunc non consequitur, quia generatim loquendo Deus non acceptat nostram satisfactionem pro pœnis temporalibus, nisi simus in gratia eius constituti, vnde est irreuerentia venialis, si quis in statu mortali pœnitentiam impleat, quia sacramenti aliquam partem indignè suscipit, & ponit obicem consequendi effectus, quæ est remissio pœnæ, remoto tamen postea obice peccati mortalis per novam pœnitentiam, mox ex virtute sacramenti per Christi merita sequitur remissio pœnæ temporalis: vt proinde non necesse sit, recuperato statu gratiæ pœnitentiam repetere.

16 Pœnitentia imperata & acceptata ob causam mutari potest ab eodem confessario, vel altero, si videlicet peccata reseruat non sint: nam omnes sacerdotes, vt vicarii Christi in ordine ad eas personas & ea peccata, in quæ iurisdictionem habent, iudicant, ac proinde in hac re æqualis sunt. Nec est omninò improbabile id fieri posse, tametsi peccata non repetantur

tantur iuxta Nauarr. Sylueſter tamen, Sotus, Valen-
tia & Suarez docent contrarium, nimirum repeten-
dam eſſe confeſſionem, ſi altero ſacerdote ignoran-
te ſtarum confitentis, petatur mutatio pœnitentiæ:
nam Iudex præſertim ſubordinatus, qualis eſt ſacer-
dos Chriſti perſonam gerens, congruentem ſenten-
tiam ferre non poteſt, incognitâ cauſâ: impoſitio
autem pœnitentiæ pertinet ad iudicialis ſententiæ
& abſolutionis integritatem. Ergo imponi debet in-
cognitâ cauſâ, & ſecundum qualitatem ac menſu-
ram delicti.

Qui impotens factus eſt pœnitentiæ exequendæ, 17
omnino liberatus eſt. Non enim tenetur loco illius
aliquid bonum opus præſtare: cum non alia, ſed ea de-
terminata actio, v. c. ieiunium aut Eleemoſyna à
confeſſario imperata fuerit. Cognoscere autem ac
declarare, vtrum confeſſor imponendo pœnitenti-
am errarit, ad quemuis virum probum ac doctum,
adeoque ipſum pœnitentem, ſi iudicio polleat, per-
tinere poteſt.

NB. Si pœnitens oblitus ſit, qualis ei pœniten-
tiâ iniuncta fuerit, etiam tunc ceſſat obligatio im-
plendi: Si tamen negligentia lata, ſeu mortalis in-
teruenit, neceſſe erit hoc peccatum confiteri. Ve-
rum tamen conſultum eſt, vt qui pœnitentiam, præ-
ſertim grauem oblitus fuit, culpate vel inculpate in
proxima confeſſione ſimilem (videlicet talem,
qualis pro grauibus peccatis decerni
ſolet) à confeſſario iniungi
ſibi petat.

TRACTATUS VII.

De Indulgentiis.

CAP. I.

Quid sit Indulgentia?

Indulgentia est poenae temporalis Deo debita remissio extra sacramentum per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum. Pro cuius intellectu, notandum est. Etsi Christus infinite pro peccatis totius mundi satisfecit Deo patri, meruitque nobis gratiam & gloriam teste Apost. ad Ephes. 2. tamen ex infinito isto thesauro meritorum Christi, necesse est, hominibus fieri efficacem applicationem, seu per ipsius specialem intentionem, quomodo Luc. cap. 7. Mariae Magdalenae, & cap. 21. Larroni peccata plenè remisit: seu per usum sacramentorum, praesertim baptismi, in quo omnis culpae & poenae reatus extinguitur; seu denique per voluntatem S. Pontificis, tanquam Christi in terris vicarii, ac dispensatoris generalis, cōuenienter illud Matth. cap. 16. *Es tibi dabo claves regni caelorum, quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Quae verba cum gratiam & beneficium contineant, Ecclesiae à supremo eius principe, sine cuiusquam incommodo concessa, in sua generalitate relinquenda, & nullo modo restringenda sunt. Quare ita argumentari licet: **Omne vinculum, quo homo impeditur ab in-**
gressu

gressu cœlorum, solui potest à S. Petro & successo-
ribus eius per potestatem à Christo concessam. Ta-
le autem est etiam vinculum temporalis pœnæ, post
remissionem culpæ, sæpe numero restantis: Ergò
illud quoque vinculum à pastore Ecclesiæ remitti
potest, quam remissionem indulgentiam appella-
mus.

Iustus in hac vita non solum pro suis, sed etiam
pro aliorum iustorum peccatis ob charitatis unio-
nem, per Christi merita satisfacere potest. Si autem,
cum opera satisfactoria exercent, ipsimet tali fructu
non indigeant (vel quia non peccarunt, sicut B. Vir-
go, vel etiam peccarunt, plus doloris ac pœnitentiæ su-
stinuerunt, quam pro peccatis merebantur, sicut S.
Martyres) ut verò eiusmodi satisfactiones, vel ne-
mini speciali intentione applicent, qui fructus satis-
factionis capaces non sunt, seu quia pro peccatis suis
satisfecerunt, seu quia in peccato mortali constitu-
ti sunt; tali casu nemo dicere debet, satisfactiones
inanes abire, sed potius liberalissima voluntate Dei,
magis propensi ad miserendum, quam puniendum;
ipsiusque etiam iusti satisfaciendi formali, aut vir-
tuali intentione, fructum satisfactoriorum redundan-
tium committit Ecclesiæ, ut in communi quasi the-
saurario eius repositus, per Christi vicarium fidelibus
dispensetur. Nam bona communitatis ait S. Thom.
distribuuntur singulis è communitate secundum ar-
bitrium eius, qui communitati præest.

Satisfactiones sanctorum abundantes concurrunt
ad indulgentiam seu remissionem culpæ temporalis
per modum causæ particularis & proximæ: at
verò

verò satisfactiones Christi per modum causæ vniuersalis & primariæ, siquidem satisfactiones sanctorum per se atque intrinsecè dependent ab infinita Christi satisfactione, & ab ea omnem vim accipiunt. Neq; verò ea in re, quidquam derogatur Christi potentia & satisfactioni, quin magis illustratur, quando tanta esse ostèditur, vt non solum in re ipsa abundet, sed etiam in sanctis, quibus per virtutem & motionem suam vti solet, tanquam instrumentis, ad hominum spiritualem salutem.

4 Concessio indulgentiarum & Ecclesiasticæ iurisdictionis voluntariæ; cum sit gratia & beneficium; quippe condonatio pœnæ in purgatorio: quare ad illam non requiritur certus ordo, sed potestas iurisdictionis, quare Episcopus potest indulgentias subditis suis concedere, licet nondum consecratus aut sacerdos sit.

5 Indulgentiæ non nisi subditis conceduntur, quia sicut à Iudice non suo nemo ligari potest: ita nec absolui. Exempti tamen participes se reddere possunt indulgentiarum Episcopaliū, cum ea in re sicut & in dispensationibus votorū, &c. subiicere se possint iurisdictioni diæcesani sui, ne quod ipsis gratiosè concessum est priuilegium exemptionis, in eorundem dispendium cedat. Adde quod vnus Episcopus subditis suis facultatem dare possit lucrandi indulgentias Episcopi alterius, denique ipse etiam Papa, Episcopus, concedens indulgentias, fieri potest particeps indulgentiarum.

6 Indulgentia cum sit beneficium principis nemini præiudicans, latè interpretandum est, modò constet de potestate & sufficiente causa concedendi, v. c. si dubitetur de voluntate concedentis, vtrum voluerit

merit dare indulgentiam amplam, vel restrictam
secundum personas temporis durationē &c. be-
nignior interpretatio fieri debet. Vnde si Papa
vel Episcopus concedat Indulgentiam alicui Ec-
clesiæ, intelligi debet de perpetua, nisi restrictio
facta fuisset per regulas Cancellariæ.

NB. In materia fauorabili V. C. concessa in-
dulgentia populo venit etiam Clerus, & nomine
Cleri etiam Episcopus & Religiosi comprehen-
duntur, non item in materia odiosa. Quod si du-
bitetur de potestate concedentis indulgentiam
tam amplam, tum potius restringenda est, cum a-
liquin periculum sit, ne iuri diuino derogetur, &
per indiscretas indulgentias disciplina Ecclesiasti-
ca eneruetur.

C A P. I I.

De Antiquitate Indulgentiarum.

Indulgentiarum Vsus probari solet ex Apost. 2. i
ad Cor. 2. Vbi Corinthium incestuosum, quem
absens ante excommunicauerat 1. Cor. 5. & pœ-
nitentia Ecclesiasticis subiecerat, ne nimia tristitia ab-
sorberetur, rogantibus etiam pro illo Corinthijs,
absoluit; remissa illi, per clauium spiritualium
potestatem pœna adhuc restante, cuiusmodi con-
suetudo deinceps etiam in Ecclesia viguit, vt pec-
catoribus ob scandalosa crimina, publica pœni-
tencia imponeretur, sed etiam vt ipse pœnitens,
peccata sua apud Deum congrua satisfactione
soleret.

Bbbb Indul-

Indulgentia, seu remissio pœnæ iniunctæ, non tantum est in ordine ad Ecclesiam, sed etiam in ordine ad Deum, ut etiam Deo satisfactum sit, ut quod Martyrum desiderio, & Ecclesiasticorum Prælatorum autoritate remittatur, etiam apud Deum condonatum sit.

C A P. III.

De diuisionibus Indulgentiæ.

1 Indulgentia vel est totalis seu plenaria (sic dicta, quia illimitatè conceditur, ut omnem pœnam in Purgatorio pro peccatis luendam remittat) vel partialis, quæ limitatè conceditur, ut partem aliquam pœnæ remittat, talis est Indulgentiæ tertiæ partis peccatorum; aut indulgentiæ vnius anni, vel plurium annorum. Nam Ecclesiastica consuetudine olim receptum erat, ut pro grauioribus criminibus 7. annorum pœnitentia imponeretur. Alia partialis Indulgentia etiam dicitur *carena*, id est, carentia, siue ieiunium in solo pane vel aqua per dies 40. Item quadragesima pœna, per quadragesimam subeunda imposita. Quapropter cum Indulgentiæ vnius anni, indulgentiæ septennis, vel vna carena conceditur, sensus est, remitti tantam pœnam peccatis debitam, quanta deleretur per pœnitentiam vnius anni, vel 7. annorum, aut per 40. dierum ieiunium in pane & aqua, secundum canones pro peccatis imponi solitum.

2 Olim Indulgentiæ fermè tantum concedebatur

tur de pœnitentiis iniunctis, nunc vero etiam de non iniunctis, sicut probabile censent Palud. Suarez, Gabriel, Coninck. Vbi maius conceditur, etiam minus concessa esse videtur. Quæ regula in iis locum habet, quæ eiusdem generis sunt, siue ad eandem potestatem spectantia. Atque plus seu maius quiddam est, remittere pœnitentias à sacerdote iniunctas, quippe non diuino tantum iure, sed humano etiam præcepto debitas & determinatas. Minor autem remissio est, si nulla pœnitentia sacerdotis imperio ex soluenda restet: quare talis indulgentia facilius conceditur, cum non ita eneruans sit disciplinæ Ecclesiasticæ. Ergo indulgentia data de iniunctis, extendenda etiam videtur ad non iniunctas, idque spectata consuetudine, quæ nunc in Ecclesiis viget, quia alioquin non ita magnam utilitatem hodie indulgentiæ haberent: quandoquidem pœnitentiæ, quæ pro peccatis iniungi solent, exiguæ sunt, & sæpè tantum loco Medicinæ seu alicuius curationis peccati imperatæ, quas omnimode implere expedit.

NB. Si cui pœnitentia à sacerdote imposita difficilis sit, vt appareat non per modum medicinæ præcauentis impositam fuisse: sed per modum satisfactionis, tunc non prohibetur aliquis vt indulgentia ad pœnitentiam diluendam, idque etiam Confessarii obseruare possunt, vt pœnitentiam, de qua pœnitens queritur, commutent in aliam leuiorem per modum medicinæ imponendam, præcipiendo pœnitenti, vt alicuius indulgentiæ se participem reddat.

Porro Indulgentia diuiditur in personalem

Bbbb 2 (quæ

(quæ certis personis conceditur sine determinatione ad rem materialem) & Reale (quæ alicui rei materiali, v. c. rosarijs imaginibus &c. affixa est.

- 3 Si indulgentia localis (quæ loco affixa) concessa est cum determinatione temporis, V. C. diei, tunc qui sæpius in die Ecclesiam visitat, semel tantum lucratur indulgentiam, secus si sine determinatione concessa est Ecclesiam visitantibus, cum non sit ratio restringendi ad vnam vicem.
- 4 Nomine Ecclesiæ, cui indulgentia conceditur, lucranda à visitantibus, etiam adiunctum cæmisterium intelligi debet, quia in fauorabilibus verba latè interpretanda.
- 5 Loco diruto sine spe ædificandi, vel in alium locum sub eodem patrono, & cum omnibus privilegijs transferendi, pereunt indulgentiæ concessæ locales, quod si Ecclesia diruta in eodem loco re-ædificetur, retinet indulgentiam sicut & alia privilegia, quippe cum moraliter eadem Ecclesia censetur.

C A P. IV.

Quinam Ecclesiæ Pastores, & quo iure indulgentias concedere possint.

- 1 Summus pontifex potestate à Christo accepta, Sadeoque diuino iure indulgentias tum generales, tum partiales ex rationabili causa omnibus fidelibus dispensare potest. Etiam Concilium generale, quatenus inclusio capite totum corpus Ecclesiæ

desiæ repræsentat. Non vero vacante sede non potest indulgentias generales Christi fidelibus concedere, sed solum ea præstare, quæ præcisè necessaria sunt ad regimen Ecclesiæ, donec electio Pontificis facta sit.

Inferiores verò Papa, Episcopi ex concessione summi Pontificis indulgentias largiuntur, idque adeò, quia illi immediatè iurisdictionem à Christo non accipiunt, vt dixi c. 7. n. 3. de legibus, & est vna ex causis grauioribus, quæ ad summam potestatem, adeoque supremum in Ecclesia pastorem pertinere debet.

Episcopi communi iure (concil. Later.) vnus² anni indulgentias dare possunt pro die anniuersariæ dedicationis templi, & ob aliam NB. iustam causam 40. dies; ratio, quia alioquin per superfluas indulgentias clauis Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur.

NB. Plures Episcopi possunt vni Ecclesiæ singuli, anni vnus indulgentias largiri, talis enim concessio non excedit limites iurisdictionis, cum propriè non fiat loco sed personis subditus in ordine ad talem locum. Et potest postea Episcopus loci proprius indulgentiam istam trahere ad suos, etiam subditos, si ipsis licentiam det liberandi.

NB. Episcopi viuis tantum & non defunctis indulgentias concedere possunt, quia solum concessum est Episcopis, quasdam indulgentias concedere subditis suis. Ergo hæc facultas non extenditur ad defunctos.

Praelati Ecclesiastici, qui Episcopi non sunt & non iure ordinario (sicut Episcopi, quibus id ma-

Bbbb ; ximè

xime conuenit) tamen ex consuetudine speciali aut generali indulgentias interdum largiri possunt.

NB. Nemo per consuetudinem sine tacito saltem consensu Pontificis potest praescribere potestatem indulgentiarum, nam cum talis potestas se extendat ad tollendas poenas Deo debitas, non potest ea sine voluntate ipsius Dei, aut eius Vicarij alicui competere, vt docet Suarez.

Contrarium tamen probabiliter docent Host. & Abb. nam etiam parochus dispensationem in votis potest per consuetudinem praescribi: cum tamen dispensatio ista etiam soluat animas in foro Dei, vt proinde sine voluntate Christi, aut eius vicarij, nemini competere possit. Et licet S. Pontifex specialiter nesciat consuetudinem, satis tamen eam approbare censetur, quando generali lege & praxi vult & consentit, vt Ecclesiastica Iurisdictio per longauam consuetudinem bona fide praescriptam acquiratur: cum alioquin in Ecclesiae perturbationem & periculum animarum cedere possit, si quae per talem consuetudinem ab Ecclesiae Praelatis fiunt, irrita forent. Idem sentiendum de iurisdictione in foro poenitentiae a peccatis absoluendi, quae cum bona fide vsucapi potest.

Per Communicationem bonorum operum ac meritorum factam personis, ac si membra essent Religionis, proxime ac directe non applicantur satisfactiones subditorum sed fructus iste communicationis praecipue prouenit per modum impetrationis de congruo quippe cum ratio amicitiae postulet, vt Deus propter amicos suos, etiam
alijs

illis benefaciat, qui illis amicitia coniuncti sunt, etiam sine intentione applicandi.

Communicatio vero operum bonorum ac meritorum facta personis ac si membra essent Religionis, non habent rationem indulgentiæ: nam indulgentiæ viuis conceduntur per modum iurisdictionis & absolutionis à pœnis Deo debitis per applicationem satisfactionum Christi. Prælati autem ordinum talis facultas non competit propter defectum iurisdictionis, & superabundantes satisfactiones iustorum non colliguntur in particularibus quasi thesauris Ecclesiarum, vel ordinum, sed veniunt in communem thesaurum vnius Ecclesiæ vniuersalis, vt per vniuersalem eius pastorem dispensentur. Interim certum est, quod participantibus bonorum alicuius Religionis interdum per gratiam sedis Apostolicæ eadem indulgentiæ concedantur, quæ ipsis met Religiosis.

Quod vero per eiusmodi generalem bonorum spiritualium communicationem directe & immediate non applicentur satisfactiones subditorum Prob. Vel enim Prælatus opera subditorum satisfactoria applicaret, antequam fiunt, vel postquam facta sunt.

Neutrum dici potest; Non hoc posterius, quia fructus bonorum operum satisfactorius, si vel nemini, vel inhabili applicatus superabundat, in cõmuni thesauro Ecclesiæ permanet; ac S. Pontifici eorumque qui ab ipso potestatem acceperunt, dispositioni subiacet.

Nec primum dici potest, quia id cederet in

perturbationem & grauamen subditorum, daturque locus præuentioni: ita ut si subditi pro suis, vel aliorum peccatis speciatim satisfacere intenderent, incerti essent, num forte Papa vel Prælati, ipsis inscijs, & non consentientibus, fructum omnem, vel partem eius alteri iam applicuisset.

- 6 Religiosus, qui contra præceptum Prælati fructum boni operis alteri applicat, licet malè faciat (eo quod per obedientiæ votum ita suam voluntatem superioris imperio subiecerit, ut iustum eius imperium nihil licitè velle possint) tamen applicatio valet, quia fructus & opera bona Religiosi dum fiunt, subiacent particulari dominio ipsius: non enim ita Religiosi domini esse desinunt suorum liberorum actuum, sicut terrenarum substantiarum.

C V P. V.

An & qualia causa ad concedendas indulgentias requiratur.

- 1 Non tantum ut licitè, sed etiam ut validè indulgentia concedatur, pia & rationabilis causa requiritur, ratio est, quia minister non potest validè remittere, aut dispensare iura domini sui, siue voluntate eius rationabiliter præsumpta: Papa autem, alique Episcopi dādo indulgentias peccatorum, dispensant in iure Christi ac Dei: partim quia obligatio soluendæ pænæ pro peccatis erga Deum est: partim quia thesauris satisfactionum sub Dei ac Christi tantum dominio, Ministrorum
autem

autem eius fideli dispensatione est. Ergo Papa & Episcopi validè non concedunt indulgentias, sine voluntate Dei, ac Christi, quæ nimirum est, ut pœna secundum ordinariam iustitiæ legem debita, non remittatur, atque thesaurus satisfactionum non dispensetur in destructionem, sed in ædificationem, id est, ita ut ad maiorem Dei gloriam dispensatio cedat: hanc enim, ut Deus ipse in omnibus suis operibus intendit, Prov. 16. sic & Ministri eius intendere debent. Quæ ratio sumitur ex cap. 14. Matth. Quis, putas est fidelis & prudens dispensator, &c.

NB. Licet indulgentia spectata præcisè, uti est remissio pœnarum Deo debitarum, tantò maiorem, eamque publicam causam requirat, quanto maiori Communitati, vel toti Ecclesiæ conceditur, quam si particulari personæ, vel congregationi concederetur, quatenus tamen consideratur cum opere pio simul imposito, per quod fideles ad publicas orationes, sacramentorum frequentationem, &c. alliciuntur, non parum lex hoc capite augetur causa indulgentiæ concedendæ.

Fieri solet, ut alij alijs plus de indulgentia V. C. plenaria consequantur, quia plus conatus & deuotionis adhibeat. Nam qui tepidè opus iniunctum peragunt magnam pœnam pro peccatis commissis debentes, in eo etiam tunc causa tantæ remissionis ipsius respectum deficit.

Tametsi accidat, indulgentiæ concessionem propter defectum causæ irritam esse, aliæ tamen per accidens adiunctæ facultates, V. C. absoluen-

di à referuatis, eligendi Confessarium, dispensandi in votis, sicut in Iubilæo fieri solet, subsistunt, quippe eiusmodi fauoribus ex solo humano iure pendentibus, ideoque liberè dispensationi Pontificis subiectos haud infirmantur. Quod non intelligas, quasi dispensatio in votis sine iusta causa ad libitum pontificis fieri possit, sed quod potestatem ex causa rationabili dispensandi in votis cuiuslibet arbitrato suo committere possit.

C A P. VI.

Quenam condiciones requirantur in eo, qui indulgentias lucraturus est.

- 1 **I**ndulgentiæ propriè tantum dantur Christianis baptizatis, utpote super quos Ecclesiæ tanquam membra iurisdictionem habet. Et tamen probabile prodesse etiam Catechumenis per modum suffragij, cum Catechumeni reuera per fidem & charitatem Christo vniti, sint aliquo modo membra Ecclesiæ.
- 2 Cum homo indulgentiam lucraturus est, (præconsiderato, quod debeat esse subditus concedentis, & non excommunicatus maiori) etiam in gratia Dei esse debet. Ratio, quia reatus pœnæ nunquam aufertur, nisi ablata culpa. Vnde sequitur non posse aliquem plenam omnium peccatorum indulgentiam consequi, nisi omni etiam culpa veniali liber sit, nam alioquin homo, quamuis iustus, non consequetur indulgentiam pœnæ ijs venialibus peccatis respondentem, quibus ad-
huc

huc effectus est. Inferitur secundò, licet absolute
 necessarium non sit, ad indulgentiam lucrandam,
 ut aliquis opera præscripta in statu gratiæ impleat,
 tamen in Dei gratia homo esse debet, quando in-
 dulgentiam consequitur, quod probabiliter acci-
 dere existimatur, cum opus ad lucrandam indul-
 gentiam requisitum, omnino completur. Igi-
 tur opera danda est, ut eo præsertim tempore ho-
 mo ab omni mortali liber sit, quin etiam à venia-
 libus, si plenam omnium peccatorum indulgen-
 tiam obtinere velit. Cæterum cum opus præscri-
 ptum perficiens in statu peccati mortalis, minus
 gratiam Deo obsequium præstet, ideoque non
 satis efficaciter ad finem ab Ecclesia intentum o-
 peretur, ut integram indulgentiam lucrari possit,
 valde consultum est omnia opera in Dei gratia
 adimplere.

Nisi opus præscriptum impleatur, indulgentia 3
 obtineri non potest, excepto, si pars omissa sit tam
 parva, ut eius omissio moraliter non æstimeretur,
 vel si in Bulla concessionis iusto impedimento
 impeditis, alia ratione subventum sit, quod ex ra-
 tionabili voluntate, indulgentiam concedentis
 pendet.

Opus bonum præscriptum, ita impleri debet, 4
 quatenus conducit ad iustitiam causæ finalis, ob
 quam indulgentia conceditur.

Ad lucrandam indulgentiam non requiritur 5
 actualis intentio, sed sufficit habitualis, seu inter-
 reatua, cum enim vnus iustus alteri iusto, etiam
 ignoranti satisfactiones suas applicate possit, cur
 non etiam pastor Ecclesiæ satisfactiones Christi
 satisfactio-

& sanctorum per indulgentiam applicare queat homini V. C. à sensibus alieno & mox morituro. Deinde natura indulgentiæ non postulat necessariò actualem intentionem, nec Bullæ verba hoc significant cum solum dicatur indulgentiam V. C. plenariam consequendam fore à fidelibus, qui tali die Ecclesiam piè visitarunt, id totum autem fit, etsi quis actualem intentionem non habeat, indulgentias lucrandi.

Si alius, iussu vel rogatu tuo opus perficit, sit causa ipsius operis, vt si iubeas famulum tuum orare, ieiunare, vel similia opera personalia exercere, non lucraberis indulgentiam concessam orantibus, ieiunantibus, cum verè ac propriè non ores, nec ieiunes.

Sin verò ille alius non sit causa propria operis, sed nudum instrumentum materialiter tantum concurrens, vt si des eleemosynam per manum famuli, haud dubiè lucraberis indulgentiam concessam ijs, qui eleemosynam dederunt, nisi exprimat in Bulla, vt tale opus reale in propria persona fiat.

¶ Vna oratione non potest aliquis pluriùm numismatum similes indulgentias lucrari, V. C. si quis habeat secundò numisma, quorum singularis indulgentia vnus anni concessa est, dicto vno pater & Aue, semel duorum annorum indulgentias non lucrabitur. Ratio, quia hæc censetur esse mens Pontificis, cum opus bonum plerumque adiungi soleat ad supplendam iustitiam, seu causam indulgentiæ, qui finis non ita obtinetur, si vno opere exhibito, plures indulgentias similibus rebus

rebus promissas lucrari liceat. Confirm sicuti ad indulgentiam vnam lucrandam requiratur opus semel fieri; ita ad indulgentiam duplam requiratur opus repetitum seu duplicatum. Excipe, nisi opus repeti non possit, uti est S. Communio.

Si in Bulla fiat mentio confessionis, intelligitur id iuxta stylum Ecclesie, de mortalibus non solum contritis, quæ sunt materia necessaria Confessionis: & non de venialibus, nam Confessio peccatorum requiri solet, ut per eam certius ac securius tollatur obex consequendæ indulgentiæ, talis autem obex non sunt peccata venialia.

Contritio mortali peccatori non sufficit ad lucrandas indulgentias, nisi illi propter defectum Confessarij impossibile sit confiteri, tunc enim præsumi poterit mentem Pontificis esse, ut tunc sufficiat contritio, alioquin Pontifex exigit Confessionem mortalium ut per eam certius & securius obex indulgentiæ lucrandæ tollatur, cum plerumque non satis certi sumus, nos habere contritionem perfectam.

C A P. VII.

De Indulgentiis, quæ defunctis à S. Pontifice applicantur.

Certum est, quod summus Pontifex defunctis in Animabus in purgatorio Indulgentias impartiri possit; id ostendit praxis Ecclesie; & cum quibus prius

priuatus satisfactiones suas defunctis applicari possit, cur non etiam pastor Ecclesiae applicare posset satisfactiones Christi & Sanctorum, lucrans indulgentias defunctis, non est necesse, vt sit in gratia Dei, cum indulgentia Effectum consequatur.

2 Indulgentia concessa viuis non potest etiam defunctis applicari, nisi in concessione exprimitur; quia indulgentia pender, sicut ab autoritate; ita & a voluntate concedentis.

3 Summus Pontifex indulgentias dat per modum suffragij defunctis, (exhibendo Deo satisfactionem & quasi precii solutionem adiunctis precibus, vt eam misericorditer acceptare dignetur ad liberationem animarum, nec applicat per modum iurisdictionis, quia non habet iurisdictionem, ideoque nec potestatem absoluendi erga defunctos, quippe qui iam alieni fori sunt. Nec Indulgentia pro defunctis concessa certum effectum & infallibilem) habet, sed tantum prodest per modum impetrationis. Secundum liberalem Dei acceptantis voluntatem. Quia iudex supremus non tenetur commutationem poenae sibi debitae admittere, nisi ad id se promissione aliqua obligarit, sed Christus non obligauit se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia pro liberatione defunctorum, sed pro viuis tantum. Matth. 26. Ergo.

4 Credibile est, quod Deus facilius acceptet indulgentias oblatas pro iis defunctis, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali condonatione, puta, si pro peccatis suis ipsimet satisfacere, &
Indul-

Indulgentias ab Ecclesiæ pastoribus concessas lucrari studuerunt, & pro defunctis diligenter orant.

C A P. VIII.

De iubilæo.

Annus Iubilæi (ad imitationem veteris testamenti sic dictus, & Romæ cum plenissima peccatorum indulgentia magno gaudio ac solennitate celebrari solitus) olim illud Bonifacius VIII. ante anno 300. centesimo quoque anno celebrari statuit, non quod ille primum introduxerit, sed quod veteri traditione & maiorum monumentis testatum confirmarit. Postea Clemens VI. eum ad annum 50. reuocauit, eo quod paucorum hominum vita ad annum illum centesimum pertingebat. Denique Paulus II. Iubilæum ad annos XXV. reduxit. Eodem autem anno Iubilæi omnes indulgentiæ extra urbem per totum orbem suspenduntur, idque ob maiorem celebrationem S. Iubilæi, si eius indulgentia sola vigeat & floreat Romæ, fideles tanto auidius ad eam lucrandam accelerent.

Finito anno Iubilæi, indulgentiæ plenariæ extra urbem vim suam recuperant, interea irritæ existentes.

Suspensio Indulgentiarum intelligitur quo ad omnes viuos etiam in mortis articulo constitutos (vtpote non necessariorum ad salutem) sed non quo ad defunctos, quominus eis profint, per

per modum suffragij concessæ indulgentiæ plenariæ.

In anno Iubilei suspensæ sunt facultates (absoluendi à peccatis) quæ à sede Apostolica datæ sunt, in ordine ad Indulgentias plenarias consequendi.

Aliquæ plenissimæ indulgentiæ instar Iubilæi cum gratijs & facultatibus annexis à sede Apostolica interdum concedi solent (sicut factum anno 1628.) durantes plerunque ad 2. hebdomadas seu 15. dies, post promulgationem in quolibet loco factam.

Indulgentiam instar Iubilæi concessam lucratur, qui in Sabbatho vel feria 6. antecedente primam Dominicam, de peccatis confiterur, tum quia id Ecclesiarum praxis ostendit propter multitudinem confitentium, tum quia ex communiori Doctorum sententia Confessio sacramentalis necessaria non est ad lucrandum Iubileum, si quis mortalia peccata non habet.

Ad lucrandam Indulgentiam Iubilæi durantis per 15. dies, in quibus etiam 3. Dominicæ, vtpote materia fauorabili comprehenduntur, nihil referre videtur, vtrum quis sacram communionem anteponat aut postponat alijs in Bulla præscriptis operibus. Ratio, quia id approbat Ecclesiarum consuetudo, optima legum & priuilegiorum interpretes. Secundò, quia beneficium Principis sine necessitate restringendum non est, sed quatenus verba patiuntur, late interpretandum. Etsi vero in Bulla dicatur, vt qui de peccatis confessi, trina ieiunia, Eleemosynam & Ecclesiæ visitationem per-

peregerint, indulgentiam lucrentur. Commodus tamen & valde vlitatus sensus est, vt si hæc omnia quocunque tandem ordine impleta fuerint, indulgentiam consequi liceat: consultum tamen est prius confiteri, vt reliqua omnia opera in gratia Dei peracta, maiorem merendi & impetrandi à Deo vim habeant.

Indulgentiam Iubilæi tantum semel aliquis intra 15. dies consequi potest, cum sit indulgentia non perpetua, sed ad tempus determinata, V. C. duæ hebdomades &c. Videtur enim Prælatus tale temporis spacium definire, vt intra illud quiuis, cum sibi oportunum fuerit, indulgentiam semel lucrari possit. Interdum verò duplicatum tempus assignat, videlicet 2. hebdom. vt quibus prima hebdomade oppurtunitas non fuit, altera consequi possint: non quod ijdem sæpius.

Illi qui in contraria etiam probabili sententia sunt, probant ex eo, quia beneficium principis nemini præiudicans, latè interpretandum est, quatenus verba patiuntur. Nihil autem repugnat proprietati verborum, si dicamus indulgentiam concessam omnibus prima vel secunda hebdomade confitentibus, ieiunantibus, &c. posse vtraque hebdomade obtineri ab ijs, qui opera præscripta repetunt, sed respondetur ad hæc. Verba concessionis, quantumuis fauorabilis, ita tamen interpretanda esse, vt à voluntate concedentis rationabiliter præsumpta non tecedamus. Præsumptionem autem illam vnice tantum concessionis accimus tum ex consuetudine Ecclesiarum, tum inconuenientibus, quæ sequi possent ex nimia

Cccc facili-

facilitate & frequentia indulgentiarum, praesertim cum earum concessio irrita sit, nisi sufficiente causa nitatur.

Si quis bona fide à reseruatis peccatis absolutus fuerit animo lucrandi indulgentiam Iubilei, rata est absolutio, et si postea animum mutet culpate vel inculpate. Deinde, si aliquis bona fide tanquam lucraturus Iubileum, confiteatur sua peccata vnum vel alterum reseruatum per obliuionem, mortaliter non culpabilem omittens, is absoluitur saltem indirectè, etiam à reseruatis, ita vt sublata reseruatione, vel eidem, vel alteri confessario, etiam post tempus Iubilei confiteri possit alia ratio est, de oblita commutatione votorum quia absolutio, virtute Iubilæi facta, non cadebat super absoluteione votorum obliuorum. Qui vna hebdomade praestat opera, sed sacramenta penitentiae & Eucharistiae altera hebdomade perficit, videtur lucrari indulgentias, si id faciat ob istam causam aut necessitatem idque secundum epieikeian ex mente pontificis, & quia etiam implentur verba Bullæ, alioquin sine causa diuidere opera, ita vt prima hebdomade ieiunetur, altera communicetur, non lucrari indulgentias, sentit probabilititer Henriquez, quia Bulla Papalis significat, intra hebdomadem opera omnia praestanda esse, concessio autem liberalis non subsistit, nisi conditio impleatur, sub qua fit. Quare ita in praxi obseruandum, vt eadem hebdomade opera omni praestentur, quia id procul dubio securius est.

Credibile est, quod Ciuis peregrinaturus opera

opera etiam in alia diœcesi perficere possit ad Indulgentiam Iubilei lucrandam, quia si processio- ni intersit, vel in Ecclesia designata oret, nihil interesse videtur, ubi ieiunet, imò etiam ubi con- creatur & communicet, cum hoc tempore cui- us ordinatio, cuiusq; loci exposito sacerdote con- creari licitum sit, sicut ex verbis Bullæ colli- gitur.

Senes & adolescentes alioquin excusati à ie-¹² iunio, tamen ieiunare debent, si indulgen- tiam Iubilei lucraturi sint, quia Iubileum non continet præceptum ieiunandi, sed solum con- siliium cum promissione indulgentiæ, sed etiam adolescentibus, sicut & senibus, non infirmis consultum est, interdum ieiunare. Ergò non poterunt Iubileum consequi, nisi id opus con- siliij seu supererogationis impleant. Infirmis & non potentibus ieiunare, item pauperibus et- iam opera pia æquivalentia imponi debent.

Indulgentia Iubilei ita hodie concedi solet¹³ non per opera V. C. ieiunia, alioquin sub præ- ceptum cadentia satisfieri possit.

Constat enim ex praxi, si promulgatio ieiunij incidat, in ieiunium quadragesimæ vel 4. temporum. Ieiunia illa, quamvis in præ- cepto sint, ita reputari ad lucrandum Iubileum, ac si in præcepto non essent, idem sentiendum ac ieiunio ex voto. Nihil enim repugnat, quo- minus vno actu pluribus obligationibus satis- fiat, dummodo & natura talium obligatio- num id patiat, & intentio obligantis non re- pugnet.

TRACTATUS VIII.

De Sacramento Extremæ Vn-
ctionis.

CAP. I.

*De Natura & Constitutione huius Sa-
cramenti.*

EXtrema unctio est nouæ legis sacramentum
(per unctioem olei benedicti & oratio-
nem sacerdotis, ad conferendam homini ægro-
tanti, ac de vita periclitanti, salutem mentio, vel
etiam corporis, à Christo institutū.) Colligitur
ex traditione & praxi Ecclesiæ tam occidentalis
quam orientalis, & ex S. Iacobo, cap. 5. *Infirmus
per eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio
fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, &
si in peccatis sit, remittentur ei.* Vbi in primis habemus
ritum externum sacramentum, videlicet unctio-
nem olei cum prece sacerdotis. Secundò promif-
sionem gratiæ ac remissionem peccatorū. Ex quo
colligitur Christi institutio: Quia enim Apostoli
ex se ipsis collationem gratiæ certo alicui ritui, vel
actioni annectere non possint, cum ipsi non sint
auctores gratiæ & sacramentorum. S. Iacobus
autem

autem certò & absolutè promiserit remissionem peccatorum iis, qui tali ritu vsi fuerint, colligere debemus, id ipsum fecisse ex Christi voluntate ac institutione.

Sacramentum extremæ Vnctionis est consummationem Pœnitentiæ, ideoque credibile est hæc duo Sacramenta simul instituta fuisse, scilicet post resurrectionem Ioan. 20.

S. Patres, præcipue S. Chrysostomus, Origenes, Augustinus, Innocentius, Beda, Concil. Cabilon. Concil. Aquisgranense, Moguntin. de Sacramento extremæ vnctionis testimonia præbent.

C A P. II.

De materia huius sacramenti.

Materia remota huius sacramenti est oleum ab Episcopo prius benedictum. Prius patet ex S. Iacobo cap. 5. posterius ex Ecclesiæ traditione & praxi, eius congruam rationem attuli supra in tract. 3. c. 2. n. 2.

Oleum extremæ Vnctionis debet esse simplex non mixtum balsamo, sicut in S. Chrismate quia balsamum significat odorem bonæ famæ, quam baptisati dum viuunt, per bona opera & exempla seruare debent, oleum autem simplex, quo bonæ Conscientiæ tranquillitas significatur, mox morituris sufficit. Quod si mixto oleo seu chrismate conferatur hoc sacramentum, incertum est an valeat, tamen nihil repeti debet.

Cccc 3 Tria

3 Tria olea sacra in cœna Domini presbyteris dantur, oleum catechumenorum, oleum infirmorum, & Chrisma, vnde cum singulare oleum detur pro infirmis, non est extra omnem dubitationem, vtrum valeat sacramentum extremæ vnctionis, si fiat sacro Chrismate, eò quòd materia hæc, non tantum diuersam consecrationem habeat. sed etiam saltem morali æstimatione, diuersum vsum & applicationem fortiatur, cum sit mixtura artificialis. Nilominus si sacerdos per errorem infirmum Chrismate vnxit, non debet, vt dixi, repeti, tum propter scandalum, tum quia valdè probabile est, Sacramentum extremæ Vnctionis validè conferri in materia S. Chrismatis, seu, quia olim consuetudo erat, talem materiam adhiberi, vt Suarez existimat, seu quia mistio balsami tam exigua esse solet, vt oleum nec physicè, nec omninò moraliter suam naturam exuisse censeatur: quod verò hac vel illa benedictione oleum consecratum sit, non videtur pertinere ad substantiam sacramenti.

Oleum vetus, superueniente nouo, post
4 Cœnam Domini, in lampadibus Ecclesiæ ante venerabile sacramentum ponendum, & comburendum est, veteri tamen in necessitate parochus vri potest, vsque dum nouum adueniat.

Materia proxima huius Sacramenti est vnctio saltem quinque sensuum, facta manu sacerdotis: pedum verò & renum vnctiones, non sunt de Essentia Sacramenti: sufficit quoque
ad va-

ad valorem Sacramenti, vnum oculum, vnum
aurem, &c. inungere, sed talis inunctio sine ne-
cessitate non est introducenda contra consuetu-
dinem Ecclesiæ.

Ratio autem congruentiæ, cur 5. sensuum
inunctio sit materia proxima, est, quia 5. sen-
sus sunt quasi origines seu receptacula peccato-
rum per extremam Vnctionem abstergenda.

Si infirmus manibus careat vngenda est caro 6
propinqua, item si oculus careat, locus o-
culorum. Nam licet homo qui caruit visu per-
petuo, non potuerit eo sensu peccare secun-
dum effectum, potuit tamen secundum concu-
piscientiam videndi.

Sacramenta omnia cum Crucis S. figura 7
ministrari solent, sed non de necessitate Sa-
cramenti, nisi in Confirmatione, quippe in
qua speciatim fideles signari debent, tanquam
militantes sub signo crucifixi: nec mortale pec-
catum est sine Crucis signatione inungere in-
firmum.

CAP. III.

De forma huius Sacramenti.

Forma extremæ vnctionis deprecatoria esse I
debet, talis scilicet; *Per istam vnctionem, &
clem. piissimam misericordiam indulgeat tibi Domi-
nus, quicquid deliquisti per visum: & similiter
in alijs membris.* Probatur ex Apostolo Iacobo.
et orent super eum vngentes: tum ratione

Cccc 4 diffe-

differentiæ, quæ est inter hoc & reliqua sacramenta, quæ modo verborum indicatio conficiuntur: nam illa fermè habent effectum aliquem infallibilem, seu characteris, seu gratiæ sanctificantis; huius autem sacramenti Effectus impedi-ri potest, tum propter obicem recipientis, quod attinet ad spirituales Effectus gratiæ, tum propter indifferentiam, quia non expedit conferti sanitatem corporis. Deinde hoc sacramentum institutum est, ut sit complementum sacramenti pœnitentiæ, si nimirum homo in pœnitentiæ iudicio non satisfecit plenè pro peccatis suis, exoretur Deus à Ministris Ecclesiæ, ut homines suis viribus destituito misericorditer indulgentiam dare dignetur.

2 Formam sacramentorum Patres quandoque precem appellant. Nam licet Efficacitas sacramentorum non pendeat ex vi orationis, ut est opus operantis, sed ex virtute promissionis Christi, tum etiam ea, quæ certo accepturos nos à Deo credimus quandoque precamur, gratiam & misericordiam eius agnoscentes.

3 Non pertinet ad Essentiam huius sacramenti, ut verborum forma ad singulos sensus reperatur, quare in necessitate acceleratione mortis scilicet, aut si infirmus iam iam moriturus aliud sacramentum non accepit, breuior forma usurpari potest, V. C. per istam S. Vnctionem, vel per has S. Vnctiones indulgeat tibi, &c.

NB. Aliqui non improbabiler docent Sa-
cramen-

ramentum Extremæ vnctionis substantialiter
confici vnica alicuius sensus vnctione, cum debi-
ta formula verborum.

Item verba, *per hanc vnctionem remittat tibi Do-
minus, quicquid deliquisti per visum;* sunt de essentia,
aliam omittere est scelus. Denique notandum
verba illa *quicquid deliquisti* efficere sentum Condi-
tionalem, si quid peccasti, quamobrem ministra-
ri potest, hoc sacramentum homini, etiam is nul-
lum peccatum habeat, V. C. ei, qui immediatè an-
te baptizatus fuit,

C A P. IV.

*De Subiecto, siue suscipiente hoc sa-
cramentum.*

Subiectum capax huius sacramenti, est solus
homo baptizatus (nam baptismus est *ianua vi-
tae spiritualis, quia per ipsum de corpore efficimur Ecclē-
się*) qui rationis vsum adeptus, V. C. puer septen-
narius, qui potest peccare, tunc enim peccati actua-
lis capax, tanquam miles aduersus extremos Dia-
boli insultus pugnare, & ob id veluti ad luctam
ingi potest.

Pueris extrema vnctio dari potest, etiam an-
tequam ad S. Eucharistiam admittantur, eò
quod nulla sit connexio inter S. Eucharistiam &
Extremam Vnctionem; ergò etiam si aliquis
dispositus non sit ad S. Eucharistiam suscipien-
dam, si tamen dispositus videatur ad sacra-

Cccc § men.

mentum extremæ Vnctionis, non debet eo priuari.

2 Morituris si in phrenesin, aut amentiam inciderunt, Extrema vnctio danda est, si antè Christianè vixerunt, & salutis suæ memores fuerunt, quod præsumendum, si contrarium appareat, nam si quis in peccato mortali notoriè constitutus erat, tunc sacramenti ministracionem non meretur, nisi coniecturis, vel saltem vnus hominis testimonio probetur, absolutum fuisse, vel pœnitentiæ aut aliæ pietatis signa edidisse. Ratio est, quia semel malus, semper præsumitur malus, quare si certum sit, hominem fuisse in statu peccati mortalis, nisi postea indicium aliquod mutatæ voluntatis præbeat, potius existimatur in statu antiquo permansisse.

3 Quod si sacerdos occultum peccatum sciret in homine incidente in amentiam, ordinariè debet illi porrigere Eucharistiam & Extremam vnctionem. Ratio, quia phreneticus ex hac vita discessurus, ordinariè se habet, ac si publicè sacramenta exeuntium peteret. Peccatori autem occulto publicè petenti sacramenta ministrari debent cum sacerdos tanquam ex officio administrans publicam personam gerat, ideoque secundum publicam non priuatam notitiam procedere debeat.

NB. Perpetuò amentibus perinde ac infantibus extrema Vnctio danda non est.

Expe-

Expedit dare vñtionem cum periculum⁴ mortis ex infirmitate probabile est, & suppendendis aut decapitandis non est porrigenda extrema vñctio, quia Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis. &c.*

Extrema vñctio, iterum conferri potest, si⁵ infirmus postquam reualuisse videbatur, in periculum mortis reincidat. Nam sicut corporis aegritudo ad mortem disponens, & quæ coniuncta esse solet animi depressio, iterum incurri potest, ita & spirituale huius sacramenti remedium, tum ad corporis, tum animi subleuationem institutum repeti posse debet.

Quod si verò idem periculum mortis daret, & non extra probabile periculum mortis constitutus sit homo, non potest repeti ratio, quia hoc sacramentum ex propria institutione conferri debet infirmo, non cuiunque, sed qui secundum humanam æstimationem in probabili statu monendi; Ergò dum idem status, quamvis diuturno tempore duret, non est repetendum sacramentum.

CAP. V.

De Effectu huius sacramenti.

SACRAMENTUM Extremæ Vñctionis principaliter institutum est contra peccatorum reliquias (nam alia V. C. venialia extinguuntur)

tingueret per pœnitentiam, patet id ex Aposto-
lo, qui remissionem peccatorum huius sacramen-
ti effectum esse ait, non absolutè, sed conditio-
natè, si in peccatis est, quo satis significat, alium
præter nunc magis proprium & principalius
intentum effectum esse, quem antecedentibus
verbis indicarat alleuiabit eum Dominus: Minus
tamen principaliter hoc sacramentum institutum
est ad salutem corporis, si animæ expediat confo-
rendam.

NB. Reliquiæ peccatorum sunt tepiditas &
torpor ex peccatis prouenientes, quo animus ho-
minis deijcitur, præsertim circa mortis ex infir-
mitate periculum.

Peccatori, quem sacerdos existimat attritum
fuisse, antequam in phrenesin incidit, siqui-
dem hoc sacramentum in eum etiam finem spe-
cialiter à Christo institutum est, vt tollat, si
quæ reliqua manserunt peccata, pro quibus aliud
remedium non suppetit.

3 NB. Pœna etiam temporalis remittitur in
hoc sacramento, sed non integrè, si loquamur de
Effectu sacramenti ex opere operato, sed secun-
dum mensuram institutionis Christi.

Extrema Vnctio est sacramenti totius vitæ
consummatium, quia eo fine à Christo insti-
tutum est, vt tollat, si quæ adhuc restant, pec-
catorum reliquias, & salutis impedimenta, ad-
eoque præparet hominem atque expeditum red-
dat ad introitum regni cœlestis.

Effec.

Effectus sacramentalis confertur, cum sacramentum essentialiter constitutum est: id enim commune est sacramentis, quod effectus eorum sequitur ex opere operato, id est, eo ipso, quod sacramenti substantialis entitas posita est, idque secundum proportionem causæ physicæ supposita capacitate subiecti.

Sacramentum extremæ vnctionis non videtur subsistere, & effectum operari, donec omnes quinque sensus vncti sunt. Sumi id debet ex constitutione Christi, quam accepimus per traditionem Ecclesiæ, communiter vsurpantis quinque sensuum Vnctiones, tanquam necessarias ad valorem sacramenti. Ratio congruentiæ est: quia sic demum peccati reliquiarum abstersio atque integra animæ sanatio significatur, si rationes cum verborum formulis adhibeantur quinque sensibus, quippe quæ radices esse solent omnium peccatorum. Medina tamen ait, quamlibet vnctionem suam formam habentem esse sacramentum ad eum modum, quo ordo & Eucharistia partibus integrantibus constant, seu materiam & formam partialem habent, quam obrem in susceptionem cuiuslibet sacri ordinis, V. C. gratiæ Effectus confertur.

CAP.

CAP. VI.

De Ministro huius Sacramenti.

Solus sacerdos potest esse extremæ vnctionis minister, patet ex verbis Apostoli ; Inducat presbyteros Ecclesiæ.

Extremam vnctionem extra necessitatis casum licitè non administrat sacerdos, si nec pastor sit, nec à pastore seu Ordinario licentiam habeat. Quod si verò parochus absit, aut nolit, nec superior de licentia sollicitari potest, tunc in necessitate quilibet sacerdos extremam vnctionem conferre potest, ex præsumpto consensu S. Pontificis, cum hoc sacramentum animæ in extrema lucta valdè utile sit.

In casu necessitatis plures ministri esse possunt, quorum vnus vnus, alter alterum sensum simul vngant, idque in necessitate, si inchoatus absolueri non possit omnes vnctiones, aut si infirmus ante moriturus videatur, quam vnicus minister omnes vnctiones perficere possit.

CAP. VII.

De obligatione suscipiendi ac ministrandi hoc sacramentum.

Nullum præceptum extat sacram vnctionem suscipiendi, cum ad salutem necessarium

non sit, veniale tamen est, per negligentiam intermittere, cum sit quædam incuria, seu prodigalitas spiritualis boni.

Propter contemptum & scandalum secutum, fieri potest, ut peccatum mortale sit, Extremam Vnctionem intermittere, V. C. si infirmus sine causa renuat suscipere, poterunt alij moneri ad huius sacramenti vili pensionem.

Non curantes inungi infirmum peccant venialiter, secus si cum scandalo, & contemptu.

Parochus ratione officii obligatur sub mortali, ad ministrandum Extremæ Vnctionis sacramentum, petenti.

CAP. VIII.

De Caremonijs seu ritibus ministrandi hoc sacramentum.

SI periculum propter mortis acceleritatem in mora sit, statim ad ipsas vnctiones, quippe sacramento essentialia accedendum est & tempore pestis. Orationes verò possunt suppleri in Ecclesia, Inseruire etiam poterit pestis tempore vsus virgæ argenteæ oblongæ ad vngendum è loco remotiore causa vitandæ contagionis.

In dubio, num adhuc viuat qui vngendus est, sub conditione sacramentum ministrari potest, V. C. si non est mortuus.

NB. Vnctio immediatè manu sacerdotis facta, & in formam crucis, ad accidentales ritus pertinet.

Sacer-

Sacerdotes infra palmam, vel in exteriori manu parte ungi solent, quamvis nihil refert, etiam in ipsis palmis ungi, cum haec unctio ab altera diuersa sit.

Nihil obstat S. Viaticum dari etiam post acceptam extremam unctionem, eò quòd S. Eucharistia finis sit, ac perfectio reliquorum Sacramentorum, quam proinde decet animam præbere, postquam alijs Sacramentis plene purgata est. Seruanda tamen est Consuetudo Ecclesiae, cui nequaquam aduersatur, quominus post acceptam S. Eucharistiam & Extremam Unctionem, si infirmus aliquanto tempore viuat, & Viaticum iterum petat, ei ministrari debeat.

TRACTATUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAP. I.

Quid sit Ordo.

ORdo est parium, dispariumque rerum, sua cuiusque loca distribuens dispositio, sic inter Angelos nouem Ordines reperiuntur; inter homines quoque in quouis Exercitu bono instructo, in quauis Republica: status reperiuntur quorū vnus altero superior, aut inferior est, vt ordo senatorius

equestris, plebeius : Similiterque in Christiana Republica duo sunt genera, seu status hominum, Clericorum videlicet & laicorum. Dicuntur autem Clerici, qui de sorte Domini sunt, videlicet ex gratia & ordinatione Dei, ad diuinum cultum specialiter consecrati, ideoque quasi pars, seu hæreditas Domini.

Porro inter Clericos quidam gradum nullum dignitatis, officij aut potestatis Ecclesiasticæ obtinent; sed solum tonsurati sunt, & consecrati, ac deputati, ut ad gradum aliquem ascendere possint. Alij vero in Ecclesia gradum habent traditæ sibi potestatis ac ministerij ad peragendū S.S. missæ beneficium : atque hi proprie & per antonomasiam appellari solent ordines, id est, gradus Ecclesiastici Ministerij. Denique ordinatio dicitur ipsa actio consecratoria, qua gradus alicuius potestatis ad altaris ministerium alicui conferatur.

Ordinatio Clerici nō est mera deputatio personæ ad Ecclesiasticum beneficium, per potestatem ipsi ab Ecclesia traditam : quæ proinde ipsi iterum auferri possit, ut hæretici arbitrantur : sed est stabilis & non iterabilis consecratio, ob quam tollata semel potestas, iterum amitti vel auferri nequit: licet eius exercitium alicui prohiberi possit per suspensionem vel irregularitatem.

Hæretici nostri temporis, cum legitimis Episcopis careant, sacerdotes nullos aut clericos ordinare possunt, idque, quia nullam successionem à tempore Apostolorum habent, ideo solum per

D d d d meram

meram extrinsecam deputationē Ministro Pseudo Ecclesiæ suæ creant, qui mox, si fortuna se verat, iterum Laici, seu è populo aliqui fiunt, ut Tertull. Hieronym. S. Cyprianus annotarunt. Nec hæretici vllum sacerdotem ostendere possunt, qui vel in veteri, vel in Catholica Ecclesia à laicis seu seculari potestate constitutus fuerit.

C A P. II.

Vtrum Sacra Ordinatio sit Sacramentum?

- 1 **A**liud est ordo, aliud ordinatio. Nam ordo significat gradum potestatis ac ministerij Ecclesiastici, qui Sacramentum non est, sed Effectus Sacramenti, videlicet sanæ Ordinationis, per quã eiusmodi potestas confertur.
- 2 Est autem assertio de fide, quod sit Sacramentum Ordinis, siue quod Ordinatio, per quam Ordinis potestas confertur, sit verè ac propriè Sacramentum. Prob. vbi est externum symbolum à Christo institutũ, cum annexa promissione gratiæ, ibi est sacramentum: Hic autem habemus externum symbolum ac cæremoniam, videlicet, manus impositionem: Secundò habemus promissionem gratiæ, teste Apostolo 1. Tim. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Exinde colligitur etiam tertium, esse illam cæremoniam diuinitus institutam. Neque enim Apostolus tam citò affirmasset, per eam gratiam

con-

conferri & quidem sanctificantem, videlicet
Spiritum virtutis & dilectionis, 2. *Timoth. 1.* nisi
 de ea Christi institutionem ac promissionem co-
 gnouisset: quare hæc ipsa cæremonia manus
 impositionis semper assumpta fuit in Ordinatio-
 ne Diaconorum & Sacerdotum, sicut videre
 est Actorum 16. Accedit Patrum antiquorum
 auctoritas & traditio: *Dionys. Ambros. Chry-*
ostom. Leo, Sanct. August. Theodor. Sanct. Gre-
gor. Beda.

C A P. III.

Quot sint Ordines?

Septem tantum sunt Ordines, videlicet Sa-
 cerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum,
 Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, O-
 stiariorum. Inter quos primum locum tenet
 sacerdos, quippe qui excellentissimum Missæ
 sacrificium DEO patri offert, ei verò proximè
 assistit, atque inseruit Diaconus, postea Sub-
 diaconus; deinde Acoluthus, cuius officium est
 cereos deferre, ampullas præbere: Exorcista ve-
 ro Dæmones ab obsessis pellendo, eos a pros-
 tratis addit, vt missæ sacrificio interesse possint.
 Lector autem sacra lectione præsertim fidelium
 animos ad debitam huic mysterio pietatem ex-
 citat. Ostiarius denique eos, qui digni censentur
 admittit, indignos verò excludit. Proueniuntq; isti
 Ordines ex Christi auctoritate, siue quod omnes
 singulos per se speciatim instituerit, & per Apo-
 stolos

stolos Ecclesiæ tradiderit, vt multi existimant: siue quod præter maiores quosdam à se speciatim institutos, generalem insuper potestatem ac mandatum dederit Ecclesiæ, alio inferiores ordines, quatenus expedire visum fuerit, constituendi ac consecrandi.

2 Inter 7. hos Ordines quidam sacri sunt, videlicet maiores, quibus annexum, votum continentia; quidam non sacri, quibus initiati, licet ordinem nunquam amittant, tamen ducendo uxorem viduam, omne officium ac priuilegium Clericale deponere, ac veluti Laici fieri censentur.

3 Prima tonsura ordo non est, sed fundamentum ordinationis, cum sit nuda consecratio, seu adoptio personæ in Clerum, sine vllius functionis seu ministerij potestate, per quam in ascensu alicuius gradus, seu ordine constituatur.

4 Sacerdotum Ordo bipartitus est, Episcoporum & presbyterorum.

5 Episcopi semper superarunt presbyteros ordinis potestate, (vtpote non solum habentes potestatem consecrandi corpus Christi, sed etiam dandi alijs sacerdotium) non item iurisdictione.

6 Episcopatus includit in se ordinem presbyteratus, quia nemo potest esse Episcopus, nisi sacerdos, quæ causa est, cur tanquam distinctus ordo numerari non soleat. Est igitur episcopatus secundum diuinam constitutionem perfectior presbyteratu, sicut totum continens est perfectius qualibet parte contenta.

CAP. IV.

Quorum Ordinum Collatio sit verò ac proprie Sacramentum.

DE fide est Ordinationem presbyteri esse Sacramentum, ratio est, quia per eam Ordinationem, maximæ supernaturales potestates homini conferuntur, quarum prima ac præcipua est, super Corpus Christi verum, illud videlicet consecrandi & offerendi: deinde super Corpus Christi mysticum, id est, fideles absoluendi à peccatis per Sacramentum pœnitentiæ & mundandi à peccatorum reliquijs per extremam vñtionem: Ad suauem autem Dei prouidentiam spectat, vt, cum certa lege, & institutione eiusmodi potestates hominibus conferat, simul etiam sanctificantem gratiam eis tribuat, cuius beneficio, tanti ministerij potestatem ritè exercere possunt. Confirmatur ex verbis formæ partialis: *Accipite Spiritum S.* Ioan. 20. vbi per Spiritum S. hic intelligitur gratia Sacramentalis.

Potestas absoluendi à peccatis necessario supponit potestatem S. Eucharistiam conficiendi sed non vice versa. Volo dicere, quod potestas conficiendi corpus & sanguinem Christi absolute conferatur nouo sacerdoti, ita vt etiam ea vti possit consecrando cum Episcopo, antequam accipiat potestatem remittendi peccata. At vero hæc ipsa posterior potestas invalide alicui conferatur, nisi prius acceperit potestatem consecran-

Dddd 3 d.

di. Idque confirmatur ex facto Christi, qui non eodem tempore utramque potestatem Apostolis contulit. Nam in cœna ultima tribuit eis potestatem consecrandi; post resurrectionem verò Joan. 20. potestatem remittendi peccata. Licet verò partialis illa Ordinatio Presbyteri, per quã datur potestas remittendi peccata, sacramentalis sit, non tamen est sacramentum diuersum, sed priorem partialem ordinationem in esse sacramenti mortaliter perficit, & consummat: sicut neque character distinctus per potestatiorem sacramentalem ordinationem imprimitur, sed iam ante acceptus sacerdotis Character augetur, magisque perficitur, Idque probatissimè cum accessione realis modi, seu perfectionis & non extrinsecæ tantum denominationis à diuina destinatione ad aliud officium exercendum; Cum enim Character sit signum potestatis, ideò si potestas augeatur, conueniens etiam est, ut signum eius mutetur & perficiatur.

3 Certum est, quod Episcopatus sit verè sacramentum, quamuis nõ omnino distinctum à presbyteratu. Prob. ex Apost. 1. Tim. 4. & 2. Timoth. 1. Quibus locis sermo est de Episcopatu. Secundò, quia in ordinatione Episcopi, cum impositione manuum dicitur: *Accipe Spiritum S.* qua cæremonia apertè significatur, conferri gratiam significatam. Licet verò Ordinatio Episcopi sacramentalis sit, non tamen est distinctum sacramentum à presbyteratu, sed ordinationem presbyteri in esse sacramenti habitudine morali magis perficit, & consummat: item Characterem intrinsecè auget

get & perficit, vt ordinatus iam non tantum S. Eucharistiam conficere, sed etiam ad conficiendum alios ordinare possit.

De Diaconatu quoque dubitari non debet, ⁴ quin sacramentum sit, eo quod conferatur per manuum impositionem, dicente Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum*, sed de subdiaconatu & quatuor minoribus minus certum est, quamuis probabile, omnia sacramenta esse. Vasquez & alij existimant esse solum sacramentale quoddam.

Sacramenta Ordinis, licet specie vltima non conueniant, cum neq; eandem materiam & formam, neq; eundem effectum contineant, habent tamen vnitatem ordinis ad eundem finem principalem, quod est sacrificium Missæ.

C A P. V.

De Materia & forma singularum Ordinationum.

Conuenit inter Doctores, materiam sacræ Ordinationis esse signum aliquod visibile, formam verò esse verba, quæ à Ministro materiam exhibente, interim proferuntur.

Materiæ Sacræ Ordinationis substantialiter requisita, tam Episcopalis, quam presbyteri, & Diaconi, est impositio manuum Episcopo: Forma autem sunt verba, quæ ab iisdem proferuntur; *Accipe Spiritum S.*

Dddd 4 NB. Epi-

NB. Episcopum à tribus Episcopis non paucioribus ordinari seu consecrari oportere ; per commissionem tamen S. Pontificis potest fieri, ut vnicus Episcopus alium ordinet.

2 Ordinatio presbyteri duas materias & duas formas ad completam essentialē constitutionem requirit. Prioris Ordinationis materia, est traditio Calicis cum vino, & patenæ cum pane ; forma verò: *Accipe potestatem sacrificium Deo, &c.* Posterioris Ordinationis forma, est impositio manuum Episcopi; forma autem: *Accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata &c.*

NB. Manuum impositio est de Essentia Sacramenti, qui significat gratiam Sacramentalem, & potestatem super Corpus Christi mysticum.

Materia Ordinationis Diaconi, est traditio libri Evangeliorum cum impositione manuum Episcopaliū, essentialiter requisita: colligitur tū ex forma; *Accipe Spiritum S. rum ex ordine Romano.* Nec refert, quod olim Diaconis non fuerit exhibitus liber Evangeliorum; poterit enim olim alia materia exhiberi, per quam & altaris ministerium, & alia annexa officia Diaconi significantur.

3 Propria materia Ordinationis subdiaconi, est traditio Calicis vacui, cum patena superposita. Forma vero subdiaconiatus videntur esse verba Episcopi, quibus traditum Subdiaconis ministerium indicat: *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur.*

4 Phycus materiæ contactus non videtur esse necessarius ad substantiam & valorem ordinationis.

tionis. Nam rationes sententiæ affirmationis, cui præsertim in re tam graui onus probandi incumbit, non conuincunt, quia Sacramentum istud non consistit in contractu aliquo sicut matrimonium, vnde licet Episcopus dicat; Accipe, non propterea necessario requiritur tactus, V. C. calicis. Et si moralis acceptatio tactu Symboli significata, ad valorem Sacramenti necessario requiratur, consequens esse, vt paruuli, qui vsum rationis nondum habentes, eiusmodi acceptationis signum edere non possunt, inualidè ordinentur, quod repugnat communi sententiæ, vt dicam cap. sequenti. Ex praxi Ecclesiæ tamen præcipitur tactus calicis vel materiæ, sed non inde colligitur, quod sit necessarius ad valorem sacramenti.

C A P. VI.

De subiecto Ordinum, seu de Ordinandis.

S**ub**iectum ordinationis capax est mas baptizatus, non fœmina. Nam Ordines sive gradus Ecclesiastici pro ijs à Christo instituti sunt, quæ eminentiam potestatis, dignitatis ac officij præ alijs fidelibus in Ecclesia, præsertim in Ordine, ad Sacro-Sanctum Missæ sacrificium conuenientes obtinere possunt: tales autem non sunt mulieres, quippe quæ ob sexus fragilitatem viris subditæ esse debent. Gen. 3. Deinde si iuxta Apost. 1. Cor. 11. turpe est mulierem loqui in Ecclesia, magis turpe esset, mulierem in Ecclesia sacrificium

D d d d § Deo

DEO offerre, aut sacrificanti ministrare.

2. Papa dispensare non potest, ut mulier primam tonsuram in Ecclesia accipiat, Ratio, qui prima tonsura aliud non est, quam consecratio & deputatio personæ ad eum statum, ex quo ad Ecclesiasticos ordines & gradus ascendi possit; cum igitur mulier ex diuina institutione incapax sit huius ascensus, sequitur etiam incapacem esse primæ tonsuræ.

NB. Per donum Prophetiæ homo non constituitur in officio, aut statu Ecclesiæ eminente; sicuti Clerici ratione status sui eminent super alios fideles laicos tam viros, quam mulieres. Vnde non mirum, quod in veteri mulieres fuerint Prophetissæ: Deinde apud Deum non est discrimen inter masculum & sceminam, quoad adoptionem gratiæ per fidem; Est verò discrimen quoad officia & ministeria templi.

3. Mulieres Diaconissæ ad nullum Ecclesiasticum ministerium ordinatæ erant, sed solum ad id electæ olim, ut edito continentiæ voto in viduarum Collegio ex Ecclesiæ bonis alerentur, orationibus die ac nocte instantes.

4. Paruuli ante usum rationis, licet non licitè, tamen validè ordinantur. Ratio, quia infans similiter capax est alicorum sacramentorum; ut Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ. Sed alia ratio est de sacramentis pœnitentiæ & matrimonij, quæ secundum actualia sua requirunt in suscipiente actualem operationem rationis: ideoq; infans eorum capax non est; consequenter nec extremæ Vnctionis, quod principaliter etiam in reme-

remedium actualium peccatorum, & tanquam consummatium pœnitentiæ à Christo constitutum est.

Ordo superior, vt includit essentialiter inferior, excepto Episcopatu, qui requirit presbyteratum; vnde validè ordinatur, etsi ante nullum alium ordinem acceperit. Constat ex praxi Ecclesiæ; nam si aliquis per saltum ordinari se passus est, non iterum ordinatur, sed ordo, qui prætermisus erat, eidem confertur.

C A P. VII.

De ætate & qualitate Ordinandorum.

Olim presbyter non ordinabatur ante expletum annum ætatis trigesimalum (quæ ætas adhuc in Episcopis permanet) nunc verò sufficit annus 25. inchoatus.

NB. Christus post exactum ætatis annum trigesimalum Evāgelium prædicare cepit, patet ex Luc. 3. Et ipse Jesus erat quasi annorum 30. incipiens, id est, cum inciperet ad exequendum mandatum patris.

Diaconus debet incepisse annum 23. subdiaconus 22. Minorum Ordinum ætas relinquitur iudicio Ordinarij dummodo seruetur constitutio Bonific. VIII. vt nullus infanti, videlicet minori 7. annorum Clericalem tonsuram conferre præsumat.

NB. Pro sacerdotio non tanta scientia requiritur

ritur, quanta ad munus confessorij, ad primam tonsuram requiritur, vt possit initiandus scribere & legere: item sit edoctus fidei rudimenta. Minores Ordines ijs saltem, qui latinam linguam intelligunt, auferri debent.

Qui in minoribus ordinibus ordinatus est à clericali statu, recedere nō prohibetur, si recedendi aliquam causam habeat. Ratio, quia nulla incumbit ei obligatio promissionis aut præcepti ad superiores Ordines ascendendi, seu in susceptis ministrandi. Videtur tamen esse culpa venialis inconstantia, si sine causa quis à statu à Clericali recedat. Alia ratio est de ingrediente Ordinis regularis nouitium determinato animo non permanendi, quia talis in re gravi decipit Religionem, à qua alimenta accipit, & cuius institutum atque secreta cognoscit.

CAP. VIII.

De temporibus Ordinandorum.

1. Prima tonsura quouis die conferri potest. Ordines autem minores, etiam extra generales ordinationes quauis Dominica die, & festo. Consuetudo etiam obtinet, vt in vespera feriae VI. conferantur, quasi hæc inchoatio quædam sit generalis ordinationis in Sabbatho peragenda.
2. Subdiaconatum & alios Ordines maiores extra 4. tempora, & duo Sabbatha passionis & Resurrectionis Christi conferre illicitum est. Regulares tamen, maximè societas Iesu, habent privilegia,

privilegia, vt extra tempora ordinari possint.

Pro ordinatione Episcopi dies Dominica est 3 assignata.

Duo sacri ordines eadem ordinatione conferri eidem non possunt.

Episcopo permissum est, ob rationabilem causam, V. C. multitudinem ordinandorum, jejunio Sabbathi continuato, sacrorum ordinum collationem ad manè Dominicæ sequentis differre, modo eousque continetur naturale, & exactum jejunium, vt Sabbathi & Dominici matutini, quasi vnus dies reputetur. Veruntamen prohibitum est Episcopo, ne eidem, quem in Sabbatho inter Diaconos, V. C. ordinavit, manè insequentis Dominicæ presbyteratum conferat: cum propter continuationem jejunij, fictione canonica, manè cum vespera ad eundem diem pertinere dicatur.

Qui in Sabbatho presbyter ordinatus est, manè insequenti Episcopus ordinari potest, etiam jejunio non continuato.

Quibusdam in locis consuetudo viget, 4. minoribus & subdiaconatum simul eidem tribuendi.

C A P. IX.

De Ministro Ordinationis.

Minister Ordinarius Sacramenti Ordinationis solus est Episcopus, sed Ordinum Minorum collatio etiam presbytero à sede Apostolico committi potest.

Abba-

2 Abbates, Sacerdotes, benedicti ab Episcopo, non nisi Regularibus subditis suis, ordines Minores conferre possunt. Quo tamen nomine, etiam nouitij comprehendi videntur, eò quod sit materia fauorabilis.

Chorepiscopis, qui non vt Episcopi à tribus Episcopis, sed ab vno tantum Episcopo, tanquam presbyteri ordinati erant, non poterat committi potestas ordinandi Sacerdotes & Diaconos.

3 Chorepiscoporum olim duo genera erant, quorum aliqui veri Episcopi, (qui & suffraganei hodie appellantur) alij simplices sacerdotes ordinati erant, quales hodie Decani rurales, & Vicarij, & hi munera episcopalia exercere non poterant.

NB. Secundum Canones duo Episcopi in Ciuitate esse non debent, nec in villa, nec modica ciuitate debet esse Episcopus, ne nomen eius & authoritas vilescat.

NB. Suffraganei nostri non ad villam Ordinario suo subiectam, sed ad proprium alicujus ab hoste occupatæ Ecclesiæ titulum magis canonicè ordinantur, adeò vt cù ea Ecclesia spirituale etiam matrimonium contrahant.

4 Non satis constat, vtrum potestas Ordinandi Diaconos & Subdiaconos simplici Sacerdoti committi possit, non priuilegium eiusmodi concessum Abbatibus Ordinis Cisterciensis in dubiù reuocatur, vti & hodie eius priuilegium nullum in vsu.

5 Episcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus valide confert Ordines. Nam patres de baptismo & Ordinationis sacramento pari modo

do sentiunt characterem per ea diuinitus impres-
sam, nunquam: amplius amitti, aut iterum auferri
posse.

NB. Suffraganei neminem ordinare possunt, 8
sine commissione Ordinarij.

Qui per saltum Episcopus creatus est, omnes
ordines conferre potest, modò sit presbyter, licet
Diaconatum aut Subdiaconatum non acceperit.
Quicumq; enim Episcopalem Characterem ac-
cepit, ideòq; verè Episcopus Ordinatus est, is o-
mnes Ordines, validè conferre potest. Qui autem
nec dum alijs ordinibus ordinatus est, validè Epi-
scopus, aut presbyter ordinatur: cum Character
Sacerdotalis ab alijs essentialiter non dependeat.

Episcopi quamuis validè omnes capaces, ta- 9
mè licitè ordinare non possunt, nisi subditos suos,
vel alienos cum licentia Ordinarij, etiam quo ad
primam tonsuram. Episcopus tamen familiarem
suum non subditum ordinare potest, si per trien-
nium secum fuerit conuersatus, & beneficium
cessante fraude statim ei conferat.

Triplex est Episcopus Ordinationis. Vnus Ori- 10
ginis, id est, è cuius diœcesi aliquis oriündus est, nec
sufficit ad domicilium Originis acquirèdum, ma-
trem in itinere, aut alicubi ad breue tempus ne-
gotiorum causa morantem, peperisse, si alibi do-
micihum habuerit. 2. Episcopus domicilij, id est,
in cuius diœcesi aliquis domicilium stabile fixit,
animo scil. perpetuo manendi, vnde excluduntur
Scholares alibi studentes, illi enim non censentur
habere domicilium ibi, vbi student. 3. Episcopus est
beneficij, id est, in cuius diœcesi aliquis beneficiũ
Ecclesiasticum possidet.

Fi-

- 11 Filius familias sortitur domicilium patris, nisi cum pubes sit, ipsemet domicilium constituat; potest enim filius domicilium statuere, si pubes sit, non item, si impubes sit.
- 12 Licet in ordinibus conferendis, tam domicilium originis attendi possit, quam domicilium habitationis, attamen in acquirenda iurisdictionis subiectione, magis attenditur ad habitationis Domicilium.

C A P. X.

De suspensionibus iure latis propter illegitimam Ordinationem vel ordinis executionem.

- 1 **Q**ui ordinantur ab Episcopo, (qui renunciat Episcopatu) non habenti legitimam executionem Ordinis conferendi, suspensionem seu potius irregularitatem contrahunt, si tamen ignorantia non crassa intercessit, potest Episcopus cum illo dispensare, idem sentiendum de Ordinatis ab Episcopis schismaticis, hæreticis, simoniacis, denunciatis, excommunicatis. Quod si tamen quis à tali Episcopo ordinatus, probabili ignorantia laborans celebret, non incurrit irregularitatem.
- 2 Qui extra tempora, vel ante legitimam aetatem, vel sine literis dimissorijs sacrum ordinem accipiunt, suspensi sunt, donec ab ordinario absoluantur. Requiritur autem ad incurrendam hanc suspensionem dolus, aut culpa crassa in ordinato. Ordinatus tamen existimans se legitime ordi-

ordinatum, non incurrit irregularitatem, exercēs
actum Ordinis, quia eum grauis sit pœna, requi-
rit etiam grauem culpam, quæ non est in homine
bona fide & ignoranter agente.

NB. Illegitimè ordinatus non est suspensus
ab alijs ordinibus, quos legitimè accepit.

Qui ante ætatem legitimam ordinari se fecit, 3
postea censura suspensionis absoluitur, non
potest tamen in ordine ministrare, priusquam le-
gitimam ætatem consecutus est. Si celebret ante
ætatem, peccat mortaliter, sed irregularitatem
non incurrit.

Episcopus, qui scienter alienum subditum or- 4
dinat, per annum à collatione ordinum suspen-
ditur.

Nemo sine titulo sustentationis ad ordinem
majorem promoueri debet, alioquin Episcopus
illud prouidere cogitur, neq; absq; pœna suspen-
sionis à papa absoluenda pacisci potest, vt talis
provisio non exigatur.

Religiosi, etiam societatis Jesu, solum 3. vota 6
simplicia edentes, sine alio titulo sustentationis
ordinari debent.

Qui cum titulo sustentationis ficto ordinatio- 7
nem impetrat, suspensionem ab ordine incurrit.

Beneficium ad cuius titulum aliquis ordinatus 8
fuit, resignari validè non potest, nisi aliunde ha-
beat sustentatio sufficiens, neq; patrimonium
vel pensionem, cum intuitu aliquis ordinatus fuit
sine licentia Episcopi vllatenus alienari, vel re-
mitti potest, donec sustentationem ex alia causa
acquirat.

Eeee

Qui

- 9 Qui per saltum ordinari se fecit, suspensus est ab ordinis exercitio ita suscepti, donec per Episcopi dispensationem ordinem intermissum accipiat.
- 10 Qui vno die 2. sacros ordines accepit suspensionem incurrisse censetur.
- 11 Episcopus in aliena diœcesi sine licentia ordinarij Episcopata exercens, suspensionem incurrit.
- 12 Qui post nuptias ante matrimonij consummationem, sacrum ordinem aliter suscepit, videlicet cum consensu vxoris Religionem ingrediens, vel totum continentiam edens, quam sacri canones permittunt, veluti irregularis efficitur.
- 13 Qui in excommunicatione ordinem sacrum suscepit, suspensionem similem irregularitatis incurrit.

C A P. XI.

De Calibatu sacrorum ministrorum.

1 **S**acerdotes & alij ministri sacri non lege divina, sed partim proprio voto, partim lege Ecclesiastica obligantur, ad perpetuam continentiam; quandoquidem talis lex nec ex scriptura, nec ex patrum traditione colligitur, nec etiam lege naturali, cum altaris ministerium non simpliciter repugnet vsui conjugali, quippe per se bono ac honesto; Quod ex proprio voto & Ecclesiastico præcepto obligentur, collig. ex c. 1. & seq. distinct. 28. Ratio verò, cur Ecclesia id requirat, est, vt sacris ordinibus initiati in continentiam statu, quem propriam voluntatis

is lege ac Religionis vinculo assumpserunt, tanto
firmius ac constantius perseuerent.

Si Pontifex sine iusta causa dispen- 2
tato sacris ordinibus, vt vxorem ducere possit,
dispensatio irrita est, quamuis matrimonium, ita
celebratum valeat, ita tamen, vt contrahens de-
bitum à conjugē non exigat, scilicet petenti red-
dere teneatur.

NB. Puer ante vsum rationis ordinē sacrum
accipiens, licet characterem accipiat, tamen non
obligatur ad continentiam seruandam.

Cælibatus seu continentia sacerdotum ex A- 3
postolica constitutione proenit, patet ex Conc.
Carthag. 2. c. 2. Et confirmatur ex Apostolo 1. ad
Tim. 5. Colligitur enim ibi viduas quæ ex Ecclesiæ
substantia alebantur, non fuisse receptas, nisi cõ-
tinentiam Deo promiserint, quanto magis credi-
bile est, altaris ministros, videlicet Sacerdotes ac
Leuitas aliter acceptos & ordinatos non fuisse,
nisi prius promissa continentia,

Plures causæ sunt, cur sacerdotes & Ecclesiæ Mi- 4
nistri continentes esse debeant. 1. quia sacerdotes
Deo & diuinis rebus perpetuo vacare debent: ab
hoc autem studio impediuntur ac distrahuntur
opere ac fœdere conjugali. 2. Quia necesse est,
honorem ac reuerentiam seruari sacerdotio: ex
reuerentia a. constat, populum non tanto in honore
habere eos, quos vident vitæ instituto penè nihil
ab ipsis differre, quam obrè sacerdotes Græci cõ-
iugib. adherentes in paruo honore sunt, 3. Oportet
episcopos, aliosq; sacerdotes hospitales esse, & in
pauperes misericordiam exercere: quomodo a.

id præstabant, si vxorem, & libros alere debeant? cum dicat Apost. 1. Cor. 12. Quod parentes filijs thesaurizare oporteat, IV. Reditus Ecclesiastici, quod fideles ad diuinum cultum offerunt, passim ad causas profanas applicarētur; Episcopatus, parochiæ, & alia beneficia frequēter quodā veluti hæreditatis jure ad filios sacerdotum deferrētur: aut saltem Ecclesia Ministrorum suorum, tanquam benè meritorum, relictam prolem magno suo gratamine alere teneretur: qua ratione prouentus Ecclesiæ distraherentur, nec sufficerent ad tantum Ministrorum numerum alendum, qui populo Christiano instruendo ac pascendo necessarius est.

- 5 In nulla vnquam Ecclesia Catholica permillum fuit, vt presbyter aut Episcopus vxorem duceret; signatim loquor de Sacerdotib. Nam Diaconis quibusdam locis permillum olim.
- 6 Presbyteri & Episcopi conjugali lecto & cella separati ab vxoribus in continentia vivere debebant secundum antiquos canones.
- 7 Episcopæ, presbyteræ, Diaconissæ olim à maritis suis dicebantur, à quorum tamen consortio conjugali abstinebant.
- 8 Falsum est, in Concilio primo Nicæno conjugij vsus sacerdotibus permillum fuisse: si enim in Concilio Nicæno, cuius semper tanta auctoritas fuit, tale aliquid decretum fuisset, quomodo fieri potuisset, vt Patres & Ecclesia id ignorarent, & postea tam in Oriente, quàm Occidente plurimis Concilijs conjugij vsus sacerdotibus tam seuerè interdiceretur, & quidem cum protestatione, esse hoc secundum præcos Canones.

Introduc̄ta ab Orientalibus consuetudo, vt 9
 Presbyteri vxoribus, quas ante duxerant, vti pos-
 si nt extra tēpora veri ministerij sui, neq; rationi,
 neque S. Canonibus consentaneum est, quia vsus
 coniugij non satis conuenit cum altaris ministe-
 rio, bonum enim est, frequenter imò quotidie sa-
 crificium Deo Patri offerri à sacerdotibus, quod
 non satis reuerenter ac congruè ab ijs fit, si conju-
 gis carnali commixtioni seruiant.

Sacerdotes concubinarij suspensi non sunt i- 10
 p̄lo iure nouo, sed canonicè puniendi sunt, si post
 monitionem non abstinuerint.

C A P. XII.

*De Tonsura Clericorum & Sacerdotum
 vñctione.*

Tonsura Clericorum & Monachorum est res 1
 antiquissima à S. Petro Apostolo Originem
 trahens. Eius mysticæ significationes plures af-
 ferri solent, primò propter memoriam Coronæ
 spinæ Christi, & ad irrisiones prompto animo fe-
 rendas; secundo in figuram Regni Ecclesiæ; Ter-
 tiò ad refecanda vitia.

Tonsura Clericorum & Monachorum olim 2
 non nouacula, sed fortifice fieri debebat, neque
 licitum erat illis comam nutrire, sed in omnibus
 consuetudo patriæ seruanda est.

Neglectus tonsuræ & habitus in Clerico secu- 3
 lari non est mortale, si absit contumacia, & con-
 temptus, & non nimius, ac inusitatus neglectus

Eccc 3 fit.

fit. Spectanda est in hoc etiam cuiusq; diœcesis consuetudo.

- 4 Vnctio sacerdotum est accidentalis quædam cæremonia, eaq; antiquissima, quippe cujus mentionem faciunt Dionysius Areopagita, Pacianus, S. Gregorius, Basilius.

C A P. XIII.

De sacris benedictionibus.

- 1 **B**enedictio (imprecatio alicujus boni) duplex est, publica & priuata. Hæc à quouis fidei fieri potest: Illa ab Ecclesiæ sacerdotibus.

NB. Ad majorem seu sanctiorem pertinet alteri benedictionem priuatam impartiri, cum Deus deprecationem peccatoris pro alio suscipiam non ita exaudiat, sicut deprecationem sancti & iusti.

- 2 Semper in Ecclesia viguit consuetudo signandi se figura crucis, ita testatur Tertullianus, Lactantius S. Antonius, Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus: Consuetudinem autem orandi manibus in crucis formam expansis leges apud Eusebium.

- 3 Publicarum benedictionum (quæ sunt ritus quidam, seu formulæ orationum à ministris Ecclesiæ ex eiusdem institutione super personis aut alijs rebus sensibilibus pronounciari solitæ, ad impetrandum hominibus diuinæ gratiæ auxiliium à malo Dæmone liberationem, peccatorum remissionem, & alia DE I dona) effectus non

non est ex opere operato, infallibilis propter defectum specialis Dei promissionis, sed per modum impetrationis nomine Ecclesiæ Deo gratæ, maximam impetrandi vim habent.

Benedictionum legitimam ritum confirmare possumus ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ haud dubio ab Apostolorum institutione initium sumsit, tum ex facto Christi panes ante multiplicationem benedicens Luc. 9. tum ex verbis Sanct. Pauli 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abiiciendum, quodcumque gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 4

NB. Benedictiones & Ecclesiasticæ aliæ sunt personarum, V.C. Abbatum, Virginum, Viduarum, Sponsorum, populi: Aliæ rerum inanimatarum, aquæ, vini, olei, &c. inter quas hoc discrimen, quod posteriores possint pollui ad eò ut noua consecratione opus, priores non. Item aliæ benedictiones sunt constitutiue, videlicet quibus res sacræ constituuntur, ut ad usum prophanum siue irreuerentiam applicari non possint, cuiusmodi sunt benedictiones olei, aquæ, vestium, altaris, vasorum. Aliæ sunt inuocatiue, quibus res sacræ non constituuntur, aut ab usibus humanis secernuntur, ut benedictio domus, nauis, ciborum.

NB. Episcopi & Abbates solum Dominicis diebus consecrari solent.

Quod Ecclesiastica benedictione sacrum effectum est, nō potest, vel saltē non solet vnquam ad

prophanos vsus adhiberi, extra grauissimā necessitatem Ratio, quia ius naturale ac diuinum postulat, vt Sancta Sanctè, seu reuerenter tractetur, sed calix, V. C. consecratur, dum formam integrā retinet sanctificationem suam non amittit. Ergo contra ius naturale ac diuinum erit, si prophanetur. Nec summus Pontifex potest licentiam dare vt absque necessitate ad humanum vsus, V. C. calix consecratus adhibeatur, cum irreuerentia sit.

- 6 Partes avulsæ à re consecrata destructa eius forma saltem cum Prælatorum licentia ad vsus prophanos adhiberi possunt, V. C. lapides, lingua Ecclesiæ, quia tunc talis materia definit esse sacra. Quare idem sentiendum de alijs rebus, quæ pijs & religiosis vsibus inseruierunt, eiusmodi sunt, monasterium Ecclesiæ utensilia, idq; cum Papæ dispensatione: ligna tamen & lapides possunt in necessitate de licentia Episcopi ad prophanos vsus applicari. Imò in Hispania talia ligna vendita fuisse sine licentia Episcopi idque dissimulari potuisse ait Navarra.
- 7 Agnos Cereos solus pontifex consecrare potest pridie Dominicæ in albis; reliquæ consecrationes cum chrismate propriè Episcopis sunt.
- 8 De Ecclesiarum & altarium consecratione atque vnctione frequens mentio est apud S. S. Patres, maximè Eusebium, Augustinum, Gregoriū Isidorum.
- 9 Benedictiones Episcopales V. C. altariū, vasorum Ecclesiæ requirunt, vt Episcopus consecratus sit, potest tamen Papa dispensare, vt etiam à

sim-

simplici sacerdote fiant. Et Abbates quidam per
præscriptionem consecrant latius.

Vestes & pavimenta sacra altaris, à simplici sa- 10
cerdote benedici non possunt sine priuilegio se-
dis apostolicæ, quod habent regulares, sed Abba-
tes superiores, qui pontificalia exercent talia be-
nedicere solent.

Benedictiones, quæ nec iure nec consuetudi- 11
ne Episcopi reseruatæ sunt à Presbyteris fieri pos-
sunt, sed nunquam à Diacono. Quare si Diacono
quamuis iubente sacerdote aquam V. C. Be-
nedicat, irrita est benedictio, quia non facta ab
habente potestatem.

Benedictio aquæ multiplex est, primò aquæ & 12
salis pro altaris consecratione, & illa pertinet ad
Episcopum, secundò aquæ baptismatis, quæ ad
presbyterum pertinet, uti est aqua benedicta die-
bus Dominicis, quæ benedictio constituta ab A-
lexandro Papa quinto à B. Petro, ad conspergen-
dum populum & habitacula eorum.

Si aqua, vel oleum non benedictum infunda- 13
tur benedicto totum benedictum erit, modo id
quod additur non sit in quantitate notabiliter ex-
cedente, contrarium tamen sentit S. Angelus, sed
minus probabiliter, quia regula illa, quod sacrum
tanquam dignius trahere debeat ad se non sacrû,
cessare videtur, si non sacrum copiosius sit: Alio-
quin si guttam aquæ benedictæ fonti aut puteo
inijcias, tota benedicta erit, quod & fidei
persuasioni & Prælatorum Ecclesiæ
voluntati repugnare vi-
derur.

Eeee §

S.Vni-

§. VNICVS.

De Abbatibus eorum benedictione.

- 14 **A**bbates alij seculares (qui collegiatis Ecclesijs
 Canonicorum secularium præstant) alij Re-
 gulares (qui monachorum) horum alij infulati,
 qui insignibus pontificalibus vtuntur ; alij non
 infulati, qui solum pastorale pedum gerunt: de in-
 de alij exempti à jurisdictione Episcopi, vel non
 exempti,
- 15 Ad Abbatis creationem tria concurrunt Ele-
 ctio, (à Capitulo seu Conuentu per vota) debet
 esse annorum 25. & sacerdos vel intra annum
 sacerdotium accepturus) secundò Confirmatio,
 per quam ius plenum acquiritur administrationis
 & jurisdictionis exercendæ: Exemptus confir-
 mandus est à Papa vel à legato à latere ; non ex-
 emptus ab Episcopo. Tertio Benedictio seu Con-
 secratio, per quam veluti spirituale matrimoniū,
 quod inter ipsum & Ecclesiæ eius electionem
 confirmatum ac ratum erat, magis adhuc con-
 summatur. Quare.
- 16 Abbas confirmatus, aut benedictus licet ad E-
 piscopatum eligi possit, tamen transire illi non li-
 cet absq; superioris licentia.
- 17 Benedictio Abbatis ab Episcopo fit assistenti-
 bus duobus Abbatibus quanquam consuetudo
 permittit, vt à tribus Abbatibus benedictio con-
 feratur.

Benedictio Abbatis potius ad solemnitatem

spe-

spectat, quam ad substantiam, adeò, ut quibusdam casibus etiam sine accepta benedictione, qui ordines sunt, exercere possit.

Abbas nomine conuentus non comprehenditur in odiosis: at in fauorabilibus V. C. priuilegijs comprehenditur, nisi ex adiunctis contraria mēs concedentis appareat.

C A P. XIV.

De Exorcismis.

Exorcismus est sermo increpationis per modum imperij ad iurationis contra spiritum immundum ad superandum illum per virtutem crucifixi.

Exorcismi in veteri Ecclesia vsitatissimi fuerunt, testatur id Justinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus.

Res etiam inanimatae quodammodo adiurari possunt, idq; duobus modis: primò vt adiuratio directe referatur ad Deum per modum obsecrationis ad creaturam verò per modum imperij, quatenus necessariò subditur motioni creatoris Dei: sic Christus Matth. 18. Imperauit ventis & mari: Secundò vt adiuratio directe tendat ad Diabolum per modum imperij, vt ab hac aut illa creatura, hoc vel illo loco abscedat, vel arcere non præsumat: Et iste est propriè dictus exorcismus, quo vtimur V. C. in benedictione aque, salis, &c. ita vt eodè opere p. crucē & merita Christi arceatur Diabolus ab omni machinatione circa tales creaturas per vsum earundem Dei circa nos auxilium

lium

lium, & protectionem impetremus. Huc etiam spectat exorcismus tempestatum contra animalia venenosa.

4 Exorcismi ad pellendos Dæmones ex corporibus obsessorum semper in Ecclesia vsitati fuerunt, vt videre est in Consilio Carthaginensi 4.c. 7.

5 Minister exorcismos adhibens præparatus esse debet & multa obseruare, vt bonus effectus sequatur, ante omnia autem diligenter inquirere an homo verè à Dæmone obsessus sit, ne frustra remedia Ecclesiæ adhibeantur ad tales fines, & effectus, quam ordinata sunt; Deinde si constet hominem esse obsessum, exorcista debet se munire scuta fidei Eph. 6 Matth. 17. Deinde pura conscientia, orationibus & jejunijs per aliquot dies Marc. 9. Familiares & domesticos obsessi ad penitentiam & communionem, & Orationes hortari exclusis curiosis. Deinde

6 Exorcismos non quoslibet, sed approbatos ab Ecclesia vsurpare oportet, siquidem orationes proprio ingenio compositæ suspectæ esse solent, & non tam efficaces, quam si Ecclesiæ auctoritate & iussu instituerentur. Quod si etiam exorcista, nihil efficiet, nihil ideò animo commoueri debet, sed consolari afflictos eiusmodi molestias ac detrimenta permitti à Deo, quia secundum sapientissimam eius prouidentiam non expedit tolli, & ideo etiam vt ad diuinum auxilium à diabolo diutius afflictis maiore fide, & animi feruore accurrant.

7 Dæmon non per modum obseruationis, vt aliquid discatur ab illo, sed per imperium pellendus est

est exorcismis, alias mortale, quia cum Dæmone, Christi & humani generis hoste nullum societatis cuiuscunq; colloquium aut commercium institui licitum est, sed tantum, vt hostem eum persequi per modum imperij, coactionis, expulsionis, neq; ad varia curiosa edicenda Diabolum adiurare oportet, sed ea, quæ ad rem pertinent videlicet de numero, nomine obsidentium, de tempore quamdiu, & de causa, quibus autem factis verbis aut signis viderit Exorcista Dæmonem magis vrgeri, ijs magis ac crebrius instet, si autem viderit obsessum aliqua parte corporis commoveri, pungi, vel tumorem apparere, ibi crucis signum & aquam benedictam, quæ semper in promptu esse debet, adhibere non intermittat.

TRACTATUS X.

De Matrimonij Sacramento.

Pars prima de sponsalibus.

C A P. I.

De Constitutione sponsaliorum.

Sponsalia à spondendo dicta sunt teste Vlpiano, quia moris erat veteribus Romanis vt puellam is sub cuius cura & potestate erat, spondere alteri vxorem dare; quare ille sponsor, hæc sponsa

fa

sa appellata fuit, & is cui desponsatio facta, sponsus. Sunt autem sponsalia alia de praesente, quae non differunt à matrimonio rato, & nondum consummato: Alia de futuro, quae definiuntur. Promissio mutua futurarum nuptiarum, quae posterior acceptio magis propria est, ideoque sponzorum nomine fermè in iure utroque; ij intelliguntur, qui matrimonium non contraxerunt, sed promiserunt. In dubio tamen in favorabilibus nomine sponsae etiam intelligitur vxor, non autem in materia odiosa. Quod si in aliqua dispositione iuris fiat mentio mariti & vxoris, intelligi debet de ijs, qui iam matrimonium contraxerunt. In materia tamen fauorabili nomine mariti & vxoris intelliguntur etiam sponsi de praesenti ante matrimonij consummationem, non item in materia odiosa, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

- ² Sponsalia non debent numerari inter simplices promissiones, sed inter contractus, qui utroque obligationem pariunt, ut patet ex definitione. Hinc si Titius animo contrahendi sponsalia promittat nuptias Caiæ, hæc autem promissionem acceptet, sed sine proposito repromittendi, nec Titius nec Caiæ ad nuptias obligantur in conscientiae foro. Quod Caiæ obligationem non contrahat clarum est, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Caiæ autem, ut dixi, non voluit se obligare Titio sed tamen Titium promittentem sibi obligatum habere. Neque etiã Titius obligatur, quia verba contrahentium accipienda sunt secundum naturam
- con-

contractus. Sponsaliorum autem contractus re-
 spectivus est & reciprocus sicut ex eius definitio-
 ne constat, ideo sponsionem continet non simplicem
 sed virtute conditionatam : promissio si tamen
 promiseris : Quare dicere solent DD. Quod
 sponsaliorum contractus claudicare non potest
 sed videlicet ex vna tantum parte contrahentium ob-
 ligare. Dixi autem in Corollario, si Titius pro-
 mittat animo contrahendi sponsalia; si vero ab-
 soluta & gratuita promissione se obliget Cajæ,
 adducendam ipsam, si aliquando voluerit, hanc-
 que promissionem Caja acceptet nihil vicissim
 promittens, solus Titius obligatus erit, sicut si quis
 alteri promittat, equum tanto precio venditurum,
 quandoque intra annum ipsi emere libuerit,
 non erit quidem pactio reciprocae venditionis &
 emptionis, sed simpliciter & absolute in consci-
 entia foro promittentem, ut datam fidem seruet,
 obligat. NB. Si quis promittat puellæ se aliam
 non ducturam nisi ipsam, non est hæc obligatio
 sponsaliorum, oritur tamen hæc obligatio condi-
 tionalis, ut vel hanc ducat vel nullam sicut, si quis
 promittat, se non alienaturum fundum extra fa-
 miliam.

Sponsaliorum contractus, quamvis priuatiuè
 & sine testibus peractus sit sub peccato mortali
 obligat promittentem, in ordine tamè ad forum
 externum requiritur probatio per testes aut in
 defectum plenæ probationis iuramentum si de-
 beratur, ut dixi lib. 4. Tract. 3. c. 5. probatur asser-
 tio. Nam omnis obligatio descendens ex reciproco
 contractu, iustitiæ est, ideoq; sub mortali culpa
 ob-

obligans, si materia grauis sit tantæq; obligationis capax vt in proposito.

4. Iudex Ecclesiasticus à sponsalibus absq; causâ iusta recedere volentem, post Canonicam monitionem etiam censuris ad nuptias compellere debet iuxta illud. *Puella prius monenda, postea cogenda est*: Ratio, quia solus Papa tanquam supremus spiritualis princeps per plenitudinē potestatis ex graui causa dispensare potest in sponsalibus non item Episcopus: cum talis dispensatio cedat in præiudicium tertiæ personæ, quapropter ad Episcopum tanquam iudicem ordinarium in huiusmodi causa matrimoniali pertinet, parti postulanti ius dicere, & consequenter alterum sententiæ parere pertinaciter renitentem spiritualibus pœnis seu censuris compellere, quæ licet maximè locum habeant cum sponsalia iurata sunt, vel sponsa sub specie matrimonij corrupta, tamen etiam sine his compelli debet ad pactum sponsaliorum seruandum, dummodo ordinarius hac ratione spontaneum nuptiarum consensum se impetraturum speret; sin minus satius minus malum violatæ promissionis permittere, vt maius malum coacti matrimonij vitetur, atq; censuris superfedere vbi nulla spes correctionis & fructus affulget. Quomodo intelligi & conciliari potest cap. requirit de sponsalibus vbi dicitur: *Cum libera esse debeant matrimonia, monenda est potius puella, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Etiam id obseruandum in sponsalibus iuratis. NB. Imò addunt Sanchez: Si ordinarius post latâ in hoc casu excommunicationē. NB.

deat sponsum pertinacem manere, quod denique eum absolueri debeat, quamvis non petent.

Posteriora sponsalia contra priorem fidem instrumenti jurata valorem nullum habent, quia instrumentum non est vinculum iniquitatis, sponsalia autem posterius inita iniquam promissionem continent. Ergo ^{non} firman- tur iuramento, idemque contrariendum etsi posteriora sponsalia copulamantam habeant, excipe, si Conc. Tridentinum in illo loco non sit receptum, nam secundum jus antiquum si quis sponsam carnaliter cognoscat, ceterum id agere affectu non fornicario, sed maritali etoque matrimonium clam consummare velle. Porro, si priora sponsalia clam, posteriora autem a Parocho & testibus celebrata fuerunt etsi se loquendo prioribus standum sit, per accidens tamen, si sponsus intelligat sibi & priori sponsæ omni probatione destitutis etiam oblato iuramento, fidem in consistorio habendum non esse, sed censuris compellendum ad posteriorem sui infamatione &c. Tali casu prior sponsalia nonabiliter contenta esse, & suo iure cedere debebit. Denique si ex violatione priorum sponsalium exiguum incommodum futurum sit, ut si iam clam celebrata sunt, contra verò grave iniuriæ damnum timeatur, secundæ sponsæ quæ priorum sponsaliorum ignara in copulam consentit spe matrimonij præferim, si etiam prolem concipit. Nam tali casu deceptor ex iustitia obligatus est damnum mulieris auertere, quod alia ratione non potest, quam ducendo illam & cū hæc

Ffff ob-

obligatio grauior sit, alterius rationis, quam obligatio priorum sponsaliorum preferenda sunt posteriora sponsalia propter regulam. Si duo vincula disparis potentiae impossibilia contrahuntur fortius repellit minus forte. Quamobrem ad iudicem pertinebit, cognito periculo grauis damni interdum compellere deceptorem ad secundam ducendam. Cum autem iudex per sententiam non possit priorem iure suo priuare, sed declarare solum, ius eius in tali casu per naturalem aequitatem cessare consequens est, si talis causa manifesta sit, deceptorem id ipsum exequi posse in conscientiae foro etiam ante iudicis sententiam declaratoriam.

Illud verò certum est, quod sponsalia de praesente seu matrimonium ratum, quamuis iniuste contractum sit, derogat prioribus sponsalibus de futuro, ratio, quia contractus matrimonij fortioris vinculi est, quippe corporis traditionem continens, quae in sponsalibus non est. Et enim si quis hodie vni equum vendidit, sed non tradidit, cras alteri non tantum vendidit, sed etiam tradidit, quamuis iniuste, rata est posterior venditio. tribuitque possessori dominium, ita similiter si post sponsalia cum vna contrahatur matrimonium cum altera, posterior contractus, quamuis iniquus, tamen validus est, quo per traditionem, quasi dominium corporis coniugi acquiritur, vt proinde regula, *Qui prior est tempore potior est iure*, intelligi debeat inter eos, qui simili iure seu titulo nituntur, vt prior tempore posteriori praferatur.

For.

Fornicatio sponsæ cum altero viro solutio ad. 6
 crimine non continet iuxta l. inter : vbi
 dicitur, adulterium propriè in nupta commit-
 tum, cum sit alieni tori violatio, vnde proles ex
 tali sponsa nata non spuria, sed naturalis cenferi
 debet. Imò neque talis fornicatio fortassè mor-
 talis malitiam sub genere iniustitiæ, sed solum
 sub genere luxuriæ continet, quia iniuria licet a-
 qua sit, non tamen tam grauis videri alicui pot-
 est, præsertim si sponsus cum altera fornicetur,
 ad mortale crimen aduersus iustitiam pertin-
 et, secus est, si fornicatio in publicam notitiam
 ventura, aut periculum sit prolis generandæ,
 tum de decore & contristatione sponsæ, quæ for-
 tasse idcirco à sponsalibus resiliere cogitur. Quod
 si fornicatio occulta sit, potest talis circumstan-
 tia recitari propter auctoritatem D. D. & et-
 iam ideò, quia vt dixi iniuria grauis non

Contractus sponsaliorum magnam animi li- 7
 bertatem requirit ratio, quia sponsalia sunt via
 præparatio ad matrimonium, ideo sicut iura
 matrimonij libertatem requirunt (cum a-
 liqui infelices exitus sequi soleant) ita & spon-
 salia.

Pœna adiecta ei, qui à sponsalibus recesserit, 8
 attendenda non est, si sponsus iustam causam resi-
 cendi habeat, secus esse videtur si sine iusta cau-
 sa recesserit, ratio. Nam ratio, cur pœna spon-
 saliorum contractui adiecta, irrita cenferi de-
 beat, tum Ciuili, tum Canonico iure hæc af-
 firmari solet, ne matrimonij libertas impediã-
 tur.

tur, si aliquis nullam justam causam resiliendi habeat, immortaliter peccaturus sit, si resiliat, tunc minimè censendus est libertatem matrimonij contrahendi retinere, quam leges Christianorum tueri debeant. Ergo hodierno jure non obstat libertati matrimonij, si pœna conventionali compellatur, cum etiam grauioribus pœnis ac censuris Ecclesiasticis compelli possit, vt supra dictum. Adde quod ad maiorem firmitatem etiam arrhæ interuenire possint, vt resiliens sine causa etiam duplicatas restituere cogatur, si verò iusta à nuptijs causa resiliendi subsit, sufficiat reddere arrhas, arrhæ autem habent rationem pœnæ in eo qui sine causa resilit, quod si quis iuste resiliat, tunc adjectio pœnæ irrita censenda est.

9. Pactum lucratiuum sponso de altero contrahente adjectum, si in ipso matrimonium contraxerit, tanquam iure invalidum rescindi potest sicuti habetur l. stipulatio. §. si tibi de verborum obliga : *Si tibi nupsero, decem dare spondes?* Causa cognita denegandam actionem puto. Quia non vt par est, mutuo spontaneo amore sed ex libidine, ac turpe quæstu, matrimonia tali modo comparari censentur : quare promissio tanquam contra bonos mores rescinduntur. Vallet tamen talis promissio, si nomine dotis promissum videatur. Deinde irrita tamen est promissio, si fiat ab ipso contrahente, secus si ab alio quocunque, vt si Caius Titio promittat, vel leget 100. si cum Sempronio contraxerit talis enim non turpis quæstus, sed liberalis donatio sub conditione censetur, per quam neque libertas,

es, matrimonij auferetur, cum non agatur de
pena damni, cuius metu aliquis ad contrahen-
dum contra voluntatem induci posset, sed solum
de non acquirendo lucro per quod aliquis ad ma-
trimonium allicitur.

Qui simulato animo matrimonium promisit, I
se loquendo non obligatur ad nuptias, quia
promissioni defuit consensus, debet tamen puel-
la decepta, si damnum passa fuit, secundum ju-
sticiam aequalitatem facere compensationem, vel
pecuniam, vel ducendo eam in matrimoni-
um, deposita simulatione, si persona grauem in-
firmam passura sit, quae alio modo aboleri non
possit.

Qui ficta promissione puellam in copulam in- I I
trahit, debet illam ducere, quia mulier copiam
corporis faciendo instituit contractum inno-
centum, Do tibi corpus meum ea lege, vt post-
ea cum matrimonio contrahas, quare si mu-
lier ex sua parte promissum impleat, alter acce-
dere non potest, nisi ex naturali aequitate & iu-
sticia contrahendo obligationem implendi, et-
iam si id ipsum cuius causa altera pars impleuerat,
nam ob rem deceptor in omni foro ad id com-
pellitur. Limitant autem DD. nisi tales pro-
mittentis vel promissionis circumstantiae sint, vt
mulier deceptionem aduertere debeat. Alio-
quin si mulier non habeat occasionem suspi-
candae deceptionis, sola status seu conditionis di-
fferentia deceptorem non liberat a matrimonio:
Nam si talis promississet ex animo puel-
lae inferioris conditionis deberet ei fidem serua-

re per se loquendo: Ergo etiam tenetur, quamuis fictè promiserit, si conditionem copulæ carnalis acceptavit, id enim facere non potuit: nisi contrahendo obligationem, vicissim implendi id, cuius causa mulier promissum suum implevit. Et si enim talis apud animum suum protestetur, nolle se sponsionem facere, tamen externa illa spontanea acceptatio copulæ tali & non alia conditione oblata, est contraria prostitutioni, eamque morali æquitatis ratione elidit. Alioquin in quovis oneroso contractu libera decipiendi facultas daretur, ut si quis bona fide permutaverit vaccam pro decem ouibus posteaquam vaccam tali conditione datam accepit, & absumpsit, nolit deinde dare oves (quia non ex animo promiserit) sed aliam damni compensationem facere, profectò is neque in externo neque interno conscientia foro audiri debet, quando vaccam tali & non alia conditione datam, liberè & absumpsit, ideoque alteri semper damnum iniustum infert, nisi ei det id ipsum cuius causa promissum suum impleverat.

Notant tamen Less. Vasqu. si fœtus matrimonij promissor deprehendat mulierem virginem non esse, quæ virgo videbatur non obligari ad nuptias aut ullam aliam compensationem faciendam per se loquendo: si tamen sciebat, puellam corruptam esse, & nihilominus fictè matrimonium promisit sub conditione copulæ, *tenetur illam ducere.*

12 Liberi à parentibus neque ad contrahendum cogi,

ogi, neque à contrahendo impediri possunt. Est
 communis sumpta ex c. sufficiat 27. q. 1. *Qui liberum
 habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non
 cogitur voluntatem.*

Leges civiles contrarium docentes à iure ca-¹²
 nonico correctæ sunt, unde etiam colligitur,
 quod irrita sit desponsatio, quam pater facit no-
 mine filij puberis aut impuberis absque libero
 eius consensu expresso vel tacito, quod pater fili-
 um impuberem matrimonio tradere possit, & fi-
 lius adæpta pubertate implere debeat, ut dicitur
 c. 8. §. potest desponsare impuberem id intelli-
 gitur ita, ut necesse sit filium post ætatis puberta-
 tem consensu suo illud ratificare.

Si pater pro filio præsentem, & non contradi-³
 centem, spondeat, censetur is consentire, in foro
 tamen conscientie non attenditur hæc præsum-
 ptio, si puella dicat, sibi non fuisse animum con-
 sentiendi, sed ob reuerentiam, V. C. non fuisse au-
 tem contradicere. At in foro externo probatio-
 nibus aut saltem coniecturis puella ostendere
 debet, se consensum liberum non præstitisse, a-
 lioquin cogetur matrimonium contrahere, ipsaq;
 iuxta iudicis sententiam obtemperare debet,
 cauendum tamen, ne ex matrimonio coacto in-
 felices exitus sequantur.

Quod ad tutorem attinet pro puella præsentem
 non contradicentem spondente, arbitror etiam
 locum habere si talis persona sit, quæ in com-
 modum & fauorem puellæ spondere videatur, ut
 ipsa contradicere nolle apertè exprimere de-
 beret iuxta ea, quæ dixi lib. 1. Tract. 2. c. 3. n. 3.

Ffff 4 Liberi

14 Liberi peccant, si parentibus inscijs & non cōsultis matrimonium spondeant, quia parentum cura & potestas postulat, vt sine eorum consilio nihil statuatur in re tanti momenti, non obligantur tamen ad iussum seu consilium parentum, si parentes filios ab omni matrimonio avocare vel impedire conentur cum periculo incontinentiæ, aut ad certum matrimonium cogere velint, tunc sequendi non sunt, nisi in casu speciali, 2. cap. ad graues inimicias tollendas, dummodo matrimonium honestum sit, & filius velit matrimonium amplecti. Quod si filij inuitis parentibus contraxerint, nihilominus obligantur ad seruandam fidem, & parentes, quia obligatio grauis, si velint impedire, peccant mortaliter. Excipe nisi ex tali matrimonio scandala essent oritura & dedecus familiæ. Idque etiam locum habet post contracta sponsalia, quia promissio non obligat, quæ versatur circa rem illatam, videlicet matrimonium cum scandalo & peccato contrahendum, quare locum habet iuris regula 69. in 6. *In malis promissis fidem non expedit seruari.*

15 Filia inconsultis aut inuitis parentibus nubens ex hæreditari non potest spectato communi Cæsare iure, cum non sit vna ex causis 14. sed limitatur primò nisi parentibus volentibus & non differentibus vsque ad annum ætatis 25. filiæ maritum dare & dotem secundum vires substantiæ, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit: Secundò nisi absque parentum consensu mancipium nubat. Deinde per consuetudinem vel statutum filia inconsultis parentibus

nu-

nubens ~~et~~ hæreditari potest idque in commissi
 crimini pœnam: ratio est, quòd delicta, quæ in
 contrahendo matrimonio committi solent etiã
 ad secularem magistratum pertineat, prohibere
 & punire. Contrariam sententiam amplexus est
 Sanchez propterea quòd talis pœna liberta-
 ti matrimonij repugnare videatur sed responde-
 tur: Talem libertatem, quæ ad peccatum tendit à
 sacris canonibus minimè defendi.

Canonico iure tã mas tam fœmina ante exple-¹⁶
 tum ætatis septennium ad spõsalia inhabilis cen-
 setur, causa est, quia ea ferme ætate rationis ac
 liberi arbitrij vsum consequuntur, vt voluntari-
 am in se obligationem suscipere possint; Qua-
 propter si certis indicijs ostendatur defectum æ-
 tatis malitia & præcoci ingenio suppleri, valida
 sponsalia censentur, quæ post legitimam septen-
 nij ætatem celebrata fuerunt, si sufficientem ra-
 tionis discretionem tunc abfuisse ostendi possit
 ratio est: quia cum de veritate constat, præsum-
 ptio, quæ ex ætate secundum iuris præsumptio-
 nem sumitur meritò cedere debet; sponsalia ta-
 men irrita propter defectum ætatis superuenien-
 te rationis discretionem per ratificationem expref-
 sam, vel tacitam conualescunt.

Sponsalia ab vno vel vtroque impubere con-⁷
 tracta partim rata sunt, partim non rata, sed su-
 spensa. Rata sunt, quia & impedimentum pu-
 blicæ honestatis induunt, & durante minore illa
 ætate à sponsalibus resilire non possunt: suspen-
 sa autem sunt, quia quamprimum impubes an-
 nos pubertatis affecturus fuit, datur ei optio

Ffff § vel

vel resiliendi, vel sponsalia ratificandi, seu expressè seu tacitè; Pubes autem, qui cum impubere contraxit, neque ante, neque post hominis pubertatem resilire potest, nisi alter pubes factus dissolutioni consentiat. Excipe tamen, nisi ante legitimam ætatem si carnaliter cognouerint, tunc enim spectato iure antiquo matrimonium consummari censetur iure autem nouo sponsalia, siquidem canonico iure pubes censetur, qui generare potest, etsi annorum numerum nondum impleuerit. Præterea si impubes pubertati propinquus sponsalia iuramento confirmauit, resilire non potest adepta pubertate.

- 18 Matrimonium clandestinè contractum post Conc. Trident. videtur vim habere sponsaliorum de futuro, cum ad horum valorem nulla testium solemnitas requiratur.

C A P. II.

De dissolutione Sponsaliorum.

- 1 Sponsalia mutuo consensu contrahentium dissolui possunt, etiamsi iurata fuerint. Prius probatur, quia omnis res per quas nascitur, per easdem dissoluitur §. vlt. tit. de instit. quibus modis tollitur. *Obligations que consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluntur.* Excipe contractum matrimonij propter rationem sacramenti. Posterius probatur, quia iuramentū sortitur conditiones actus, cui apponitur; sponsalibus autem sicut & alijs promissionibus hæc tacita conditio in-

cum tale votum Deo gratum non sit quod in hominis iniuriam cedit. Sicut si quis Deo voueat e. quum quem ante promiserat Sempronio non valet votum, quatenus iniuriosum est Sempronio, dissolutis tamen sponsalibus votum DEO seruandum est.

- 7 Nihilominus tutus esse videtur in conscientia, qui à sponsalibus præsertim clam celebratis sincero animo amplectendi statum perfectiorem continentiae resilierit, idq; propter grauium DD. auctoritatem.

Quod si sponsalia palam celebrata, non potest sponsus propria auctoritate resilire, Iudex tamen debet esse contentus si velit ordinem sacrum suscipere.

- 8 Qui post contracta sponsalia in scia vel inuita sponsa religionem ingreditur, vel ordinem sacrum suscipit, obligatus esse videtur ad resarcienda illa damna, quæ ob eam causam passa fuit, V. C. in nuptiarum præparatione.

- 9 Qui voto continentiae obstrictus matrimonium licite, vel illicite contraxit à petitione debiti abstinere debet: priusquam ab Episcopo, dispensationem impetret, quæ in hoc casu ob periculum incontinentiae facile concedenda est: Quod si vouens dispensationem ante matrimonium non impetret, alter sponsus intellecto eius voto continentiae resilire potest; cum conditio illa, vt coniunx eius coniugij debitum nunquam perat, grauis videri debet.

- 10 Si sponsus vel sponsa fornicationem committat alter sponsus resilire potest, quia sponsus ^{vel} sponsa

^{si} ea conditione matrimonium promississe cense-
tur, si & alter contra fidem sponsaliorum non ce-
gerit. Nam: alioquin fidem frangenti fides seruan-
da non est. NB. Sponsalia ista solui ex parte
innocentis, videlicet non nocentis, ne ex ini-
quitate sua commodum ferat. Quare sponsus
fornicarius ad nuptias compelli potest, si alter
velit, quia *quod in gratiam alicuius conceditur non est
eius dispendium retorquendum regul. 61. in 6.*

Si sponsa oscula vel similes tactus impudi- I I
cos ab altero viro admittat, possunt sponsalia
rescindi, quia cenletur vivere impudicè, à qua
proinde vix meritò abhorrere incipit, sed non
vice versa, ob sola sponsi oscula, vel tactus im-
pudicos alterius fœminæ, sponsa resilire pot-
est, quia non propterea viro aliqua impudicitiae
infamia apud homines aspergi solet: Excipe nisi
sint tactus frequentes, ut meritò timeri possit,
ne sponsam minus sit amaturus, aut fidem non
seruaturus. Quod si etiam sponsa post sponsalia
viri passa sit, ab altero meritò repudiatur, quia
sponsa notabiliter sit vilior, ut ab ea sponsus
meritò abhorrere incipiat, ne & ipse infamiam
subire debeat, secus si somno oppressa sine omni
culpa, nam exinde sponsa tam magnum dedecus
non contrahit.

Si uterque sponzorum fornicatus fuerit, non I 2
compensatur delictum delicto, quia turpior
cenletur fornicatio sponsæ, quam sponsi, & col-
ligitur ex eo, quod filia luxuriosè vivens ante æ-
tatis annum decimum quintum exhæreditari
possit non à matre, quæ in pari turpitudine est,
sed

sed à patre, etsi is impudicè uiuat, quia turpiti-
do utriusque non censetur æqualis. Neque hic
obstat, quod de adulterijs dicitur paria fornica-
tionis delicta inter coniuges mutua compen-
satione tolli; Nam sponsaliorum solutio facili-
us permittitur uidelicet ob quamuis notabi-
lium rerum mutationem, matrimonium non i-
tem.

NB. Si sponsi aut sponsæ fornicatio occul-
ta sit, & sponsalia coram parcho & testibus
contracta, tunc sponsus priuatim debet monere
sponsam adhibitis etiam parentibus, si opus sit,
ut ipsam liberam pronunciet à sponsalibus, &
quidem publicè coram Parcho ratione scan-
dali uitandi suppressa tamen causa dissoluendi.
Quod si sponsa habeat vnum oculatum testem
fornicationis sponsi, quando putat, se nihil ob-
tenturam in iudicio, potest propria autoritate
resilire. Si tamen crimen sponsi ad iudicium
deferatur & semiplenè uidelicet per vnum te-
stem probetur, ordinariè non potest iudex
sponsalia dissoluere, quia vnicus testis non suf-
ficit, si agatur de alterius præiudicio, si tamen
sponsa ita comparata sit, ut difficulter à se i-
psa consensum liberum in nuptias impetrare
possit, ideoque infelices exitus ac scandala ti-
meantur ad iudicis officium pertinebit pro dis-
solutione sponsaliorum pronunciare: quia mi-
nus malum, quod est præiudicium aliquod spon-
si non plenè conuicti permitti potest, ut uite-
tur maius malum, quod ex coacto matrimonio
timetur.

Si

Si sponsus post sponsalia in longinquam ^{quam} ¹³
 terram abeat ut brevi tempore rediturus non
 censetur, sponsa liberatur obligatione, quia
 sponsus tam longè discedens iuri suo renunciare
 censetur: Excipe, nisi ob iustam causam necessa-
 riam discesserit, nullumque sponsæ conti-
 nentiæ periculum, aliave matrimonij necessi-
 tas immineat, tunc enim grauis mutatio super-
 venit, ad quam sponsa non censetur se obligare
 voluisse.

Si sponsus ob causam voluntariam iustam dis- ¹⁴
 cessit, biennio expectandus est, si intra prouin-
 ciam, triennio si extra prouinciam moratur.
 Quæ iuris Cæsarei decisio etiam in foro consci-
 entiæ locum habet, hac tamen limitatione,
 quod iudex Ecclesiasticus, si incontinentiæ peri-
 culum sponsæ imminere videat, tempus mode-
 rari possit, eo quod interdum non expediat mu-
 lieri, ut tam diu sponsum expectet, ideoque quia
 Canones ad salutem animæ attendunt, civiles
 verò leges præcipuè ad publicam politicam. Iudex
 Ecclesiasticus illud arbitrari debet.

Si sponsus in alienam terram (non studiorum ¹⁵
 causa) domicilium mutaturus se conferat, sponsa
 sponsalibus liberatur, quia sponsa de futuro viri
 alio commigrantem, vel vagabunda sequi non
 cogitur, cum ad hunc euentum se non obligare
 censetur.

Sponsalia soluuntur si elapsus est terminus tē- ¹⁶
 poris, qui statutus erat ad obligationem finien-
 dam, ita ut nisi intra tale tempus nuptiæ celebren-
 tur, resiliere liceat.

Si

Si

17 Si vnus sponforum paratus fuit nuptias ante elapsum terminum celebrare, alter verò non paratus, tunc contractus sponsaliorum clauditur, & manet obligatio tantum ex parte eius, per quem stetit. Neque refert, tamen si is culpa vacet, si terminus finiendæ obligationis seu modum conditionis & non per modum pœnæ adiectus fuit. Regula illa iuris 66. in 6. sumpta ex l. in iure ciuili ff. eod. tit. (*Cum non stat per eum, ad quem pertinet quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset*) locum habet in libertate promissa in legatis, alijsque institutionibus, quibus fauoris causa ita specialiter constitutum est, ideoque extendi non debet ad contractus.

18 Regula etiã illa 41. in 6. (*imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*) intelligitur de pœna conuentionali, item de iuris seu facultatis alicuius priuatione, quæ per legem decreta est, nisi aliquid intra tale tempus fiat, V. C. parochus si iusta causa impediatur, quominus ad ordinem presbyterij accedat, parochia non priuatur. Item tempus ad eligendum agendum ex lege definitum, non currit legitimè impedito. Quamobrem si ex verbis appareat nuptiarum tempus in sponsalibus non vt puram conditionem adiectam fuisse, sed in pœnam eius, per quem steterit, vt alter idcirco resilire possit, tum locus non erit dissolutioni, si nulla culpa interuenerit.

10 Notabilis mutatio superueniens iustam dat causam, spōsalia soluendi V. C. si sponsus aut spōsa

la morbum incurabilem V. C. lepram &c. contra-
 hat, vel nasi, oculi amissionem, item grauissima
 actura bonorum, inimicitia graues inter paren-
 tes vtriusque, item si sponsa dotem promissam ad-
 dere non possit. Ratio, quia sponsalibus, quæ sua-
 re natura & Ecclesiæ praxi, magnam animi liber-
 tatem postulant, ea tacita conditio inesse cense-
 tur si res in eodem statu permaneat seu notabilis
 rerum mutatio non incidat. Neque refert, et si
 sponsalia iurata fuerint; nam iuramentum forti-
 tur naturam & conditionem actus, cui adiungi-
 tur.

Tamet si tempore sponsaliorum extiterit cau- 19
 sa, ob quam sponsalia displicerent (V. C. morbi
 contagiosi, æris alieni, infamiæ, violatæ pudicitie,
 sponso magnæ sæuitiæ, crebræ ebrietatis in spō-
 sâ) sed præbabiliter ignorata ab altero sponso, eâ
 cognitâ ius datur sponsalia rescindendi: Cum e-
 tim sponsaliorum tempore defectus non appare-
 at, perinde erat, ac si non esset, cum verò postea
 apparere incipit, perinde est, ac si de nouo existat:
comparia censentur non esse & non apparere, argum.
 in fundi ff. de contract. emptione.

Si sponsus cognitâ causâ à sponsalibus resilien- 20
 sponfam carnaliter cognoscat, censetur renun-
 ciate iuri suo & sponsalia ratificare: quamobrem
 etiam sponsa non nisi sub tali conditione in co-
 nualam consentire censenda est, ideoque non au-
 tendus sponsus si postea resilire velit: licet neque
 coniunx. Si cognito adulterio coniugis suæ, ad eâ
 cedat, diuortium instituere permittitur. Ne-
 cesse tamen est, vt dixi, sponsam scire sibi ius re-
 filien-

Gggg

filien-

siliendi competere: si enim nesciat, non potest ei renunciare aut sponsaliorum valorem ratificare velle, præterquam eo casu, si Sponsus clarè significet, tali animo se ad Sponsam accedere, vt tamen si ius Sponsalia soluendi haberet, tamen ea rata esse vellet.

21 Sponsalia soluuntur, si impedimentum matrimonij dirimens superueniat per superuenientem affinitatem, spirituales cognationem.

22 Si vxor, cum qua Titius contra fidem primorum sponsaliorum contraxit, moriatur, & prior sponsa in proposito suo permaneat, non videtur Titius obligatus ad eam ducendam: cum obligatio semel extincta non reuiscat: Sponsalia autem per matrimonium cum altera contractum soluuntur: quia obligatio fortior superueniens extinguit obligationem præcedentem minus fortem, si obligationes eiusdem rationis & ordinis sint, quod dicitur propter votum simplex religionis ingrediendæ quod per subsequens matrimonium non dissoluitur, sed differtur, quia diuersæ rationis est. Obligatus tamen non est Titius ad compensandum Damnum Cajæ, quod illi intulit violando sponsaliorum fidem, quod interdum alia ratione fieri non poterit, quam eandem in matrimonium ducendo, vt si eam violauerat.

23 Licet spectato iure communi si causa dissoluedi sponsalia manifesta sit, Ordinarij consensus non requiritur, tamen ratione scandali præsertim si sponsalia publica sint, in multis diæcesibus obseruatur, vt neque liceat sponsis à sponsalibus publicè notis recedere, nisi causa prius ad Ordinarium delata,

delata, quam consuetudinem approbat D. Tho-
mas in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1.

PARS ALTERA.

De matrimonio secundum se.

CAP. I.

Quid & quotuplex matrimonium sit.

Matrimonium à præcipuo fine, qui est prolis
generatio nomen accipit: dictum est enim.
quia mulier nubit, ut mater fiat. Definitur verò,
vir & fœminæ coniunctio in diuiduam vitæ so-
cietatem retinens. Sensus est, quod matrimo-
nium sit perpetua & indissolubilis coniunctio, seu
perpetua obligatio viri & mulieris orta ex consensu
verborum, aliisue signis expresso. Eiusdem
obligationis meminit Apost. 1. Cor. 7. *Vxori vir de-*
bitum reddat, similiter autem & vxor viro, cuius ratio-
nem subiungit: *Mulier sui corporis potestatem non ha-*
bet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem
habet, sed mulier. Vbi notandum hanc potesta-
tem in corpore coniugis esse quidem ius in rem,
sed non propriè dominium ne fateri cogamur, al-
terius alterius mancipium seu seruum esse. Est
enim ius vtendi corpore coniugis ad opus gene-
rationis, ad eum modum, quo alicuius vtendi a-
lio orto ad certum finem, cõcedi solet. Dicitur ve-
ro in definitione indiuidua societas i. e. indissolu-

Gggg 2 bilis,

bilis, idque ob commodum prolis generanda meliusque educanda.

- 2 Triplex est matrimonium primò legitimum, quod legitimo consensu inter personas non impeditas constitutum est, quale etiam inter infideles esse solet: secundò Ratum includit in se legitimum & addit rationem sacramenti, per quam maiorem firmitatem & indissolubilitatem acquirit, unde infidelium matrimonium dissolui potest; Tertio Consummatum, carnali copula perfectum.
- 3 B. Virgo verum cum Iosepho matrimonium cõtraxit iuxta Matth. i. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Nam licet B. Virgo continentiae voto obstricta, tamen cum consensus & obligatio ad copulam sit de essentia matrimonij dicitur B. Virgo consensisse in copulam carnis, quoad potestatem, siue actum primum, non autem consensisse quoad actum secundum, seu actualem usum eius potestatis. Etenim licet quatenus erat ex parte contractus matrimonialis, quem iure cù Iosepho inierat, obligata fuerit ad reddendum debitum carnis si ille exigeret, ex altera tamen parte ex certa Dei reuelatione cognouit, Iosephum huiusce debitum nunquam exacturum esse, Quare castissima Virgo à voti sui violatione securam, volente ac præcipiente Domino in coniugium consensit, sed in actualem eius usum simpliciter ac directè non consensit.
- 4 Si coniuges post legitimam in religione professionem carnaliter copulantur, sacrilegium committunt, sed non fornicationem. Hinc si per dispensationem

dispensationem absoluuntur à votis continentiae si-
 ne vlla noua pactione matrimonio vti possunt:
 Nam obligatio matrimonii permansit radicaliter
 ne quoad actum primum, licet per accidens im-
 editum fuerit quoad actum secundum.

C A P. I I.

De Matrimonio, quatenus est sacramentum.

Matrimonium in lege noua inter fideles est sa-
 cramentum à Christo institutum, in lege
 noua; nam licet in veteri fuerit figura, & sacrum
 magnum efficax ex opere operato sanctificantem
 gratiam conferens sicut in noua lege. Nam *gratia*
veritas per Iesum Christum facta est, Iohannis 1.
 Porro dixi inter fideles, nam qui fidem in baptismo
 professi non sunt, nullis sacramenti capaces sunt,
 unde sequitur, si baptizatus cum Catechumena
 dispensatione Papæ matrimonium contrahat,
 contra parte sacramentum fore, cum enim Con-
 tactus matrimonij inter virum & uxorem vnicus
 est, & sacramentum vnicum significans vnam
 coniunctionem Christi cum Ecclesia, sequitur,
 utramque personam sacramenti capace[m] esse o-
 portere; quemadmodum ex vtraque persona ad
 contrahendum habilis esse debet. Nunc probatur
 assertio primò ex Apost. ad Ephes. *Sacramen-*
tum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.
 Quare paulo ante dixerat: *Viri diligite uxores vestras*
sicut & Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit
pro ea vt illam sanctificaret. Cum igitur Deus insti-
 tuerit

Gggg 3

tuerit, vt per matrimonium propter mutua[m] cōiugum dilectionem significaretur spiritualis vnio, atque dilectio, quae est inter Christum, & Ecclesiā, conuenienter sequitur, eum etiam instituisse, vt matrimonium contrahentib. spiritualis gratia conferretur, sine qua recta & debita animorum coniunctio consistere nequit. Probat[ur] secundò. Nam Christus Math. 5. & 19. matrimoniu[m] ad primāuam originem reuocans vnus cum vna perpetuum & indissolubile corporum atq; animorum vinculum praecipit: esset autem hoc iugum in noua lege persistendi cum coniuge etiam sterili, morbida, valdè graue, nisi idem Christus Dominus gratia[m] promissionem annexisset ad onera matrimonij sustinenda mutuū amorem fouendum, concupiscentia[m] fomitem extinguendum liberis in cultum Dei educandis &c. Tertio probatur ex Apost: qui 1. Cor: 7 promittit in certo casu dissolutionem matrimonij fidelis cum infideli, sed fidelibus ita loquitur. *Is, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere (sine iusta causa) quod si discesserit (ex quacunq; causa) manere in nuptam aut viro suo reconciliari.* Huius verò discriminis non alia ratio affertur potest, nisi quod matrimonium fidelium, ratione sacramenti maiorem ex Christi institutione firmitatem obtinet. Denique probatur ex testimonio s. s. Patrum Ambrosij, Augustini, Cyrilli.

2. Ipsi coniuges sunt huius sacramenti ministri, & non sacerdotes, probatur. Ministri cuiusq; sacramenti dicitur is, qui verborum formam profert, quibus

mutuam cō-
 ritualis vnio,
 & Eccle-
 m instituit
 ritualis gra-
 dita animo-
 robarur se-
 matrimoniu
 s cum vna
 atq; ani-
 em hoc iu-
 iuge etiam
 in Christus
 exiisset ad
 amore
 xtinguen-
 ec, Tertiò
 tit in cer-
 is cum in-
 i matrimo-
 is vxorem à
 cesserit (ex
 uo reconcil-
 cio affertur
 a, ratione
 tione fit
 ex testi-
 ni, Cy-

quibus sacramentum perficitur, verba autem qui-
 bus matrimonij solemnitate perficitur coniu-
 ges proferunt siue per se, siue per nuncium, episto-
 lam, ergo. Confirmatur: Nam ante Concil: Trid:
 id matrimonium non requirebatur sacerdos, er-
 go Sacerdos non est minister.

NB. Ratio sacramenti adeo annexa est matri-
 monio, vt ab eo separari non possit, quare qui-
 que ex baptizatis matrimonium contrahere
 solunt, etiam virtualiter sacramentum accipere
 intendunt. Contrà verò si nollent absolute lo-
 quendo sacramentum recipere, consequens esset,
 neque matrimonium contrahere intenderent:
 quoque contractus irritus esset. Dico si absolute
 nollent propter hæreticos, qui nolunt sacramen-
 tum suscipere, ex hypothesi verò inspeculatiue,
 etiam si existimant non esse sacramentum, inte-
 ram tamen volentes matrimonium contrahere si-
 cuti fideles solent, & in Ecclesia Christi consue-
 tum est.

Materia sacramenti matrimonij sunt corpora
 coniugum inuicem tradenda, forma verò sunt
 verba contrahentium coniugum: probatur cuius-
 que contractus materia dicitur ea res quæ in com-
 munitationem venit, siue de qua contractus insti-
 tuitur: atq; matrimonij contractus est de corpori-
 bus viri ac feminae inter se tradendis: Ergò hæc
 materia contractus matrimonij.

Matrimonium non tantum est sacramentum
 sed etiam cum factum manet quemad-
 modum s. Eucharistia. Nam sicut peracta verbo
 consecratione circa materiam panis, ipsæ spe-
 cies manent externum sympolum sacrum internæ

spiritualis refectionis ; ideoque pars sacramenti materialis: sic etiam peracta verborum conuentione circa corpora coniugum ipsi coniuges inter se in perpetuum copulati manent externum spirituale symbolum perpetuae coniunctionis Christi cum Ecclesia.

NB. Corpora coniugum sunt pars sacramenti, non quatenus est in fieri, sed quatenus est in facto esse. Nec dicimus, corpora coniugum esse partem contractus matrimonij.

Præterea coniuges sunt ministri sacramenti, quatenus verbis expressis inter se dant corporum potestatem, suscipientes verò quatenus corporum potestatem inter se accipiunt, materia denique sunt eorundem coniugum corpora inter se tradenda; cum enim sacramentum matrimonij in contractu naturali fundatum sit, mirum non est, multa peculiaria habere, quæ in aliis sacramentis simili modo non reperiuntur.

§ Mutus & sardus à natiuitate si rationis compos sit à matrimonij sacramento prohiberi non potest, signis declarare valet. Quod si simul etiam cæcus sit, matrimonium contrahere non potest, nisi antequam cæcus factus esset, nouerit, quid esset matrimonium.

Fatui seu perpetuò amentes admittendi non sunt, nisi lucida interualla rationis habeant. Quâuis etiam tunc à matrimonio contrahendo arcendi erunt, si periculum sit, ne furoris tempore prolem conceptam vel matrem enecent.

C A P. III.

De matrimonio infidelium, quorum unus vel uterque ad fidem conuertitur.

Iacet in primitiua Ecclesia ob fidem propagandam consultius visum sit Apostolo 1. Cor. 7. vt coniux ad fidem conuersus cohabitare cum coniuge infideli, si is sine creatoris contumelia & inductione ad peccatum cohabitare velit: Postea tamen crescente fide, & numero fidelium visum fuit Ecclesiae, ad cauenda peruersionis pericula aliaque in commoda, vniuersim prohibere cohabitationem coniugis fidelis cum infideli, si is ad fidem pariter se conuertere recuset. Quare testantur DD. cū Romæ Iudæus ad fidē Christianā conuersionem respuat, etsi absq; fidei iniuria cohabitare vellet, separationem institui quoad thorum & habitationem.

Non ideo statim matrimonij vinculum soluitur, quod vnus ad fidem Christi conuertitur, & alter conuertitur, aut sine creatoris contumelia cohabitare recuset; probatur ex c. gaudemus de diuortijs, vbi definitur, si marito ad fidem conuerso postea etiam vxor conuertatur cogendum esse virum, qui ad alias nuptias non transierat, recipere vxorem suam: non posset autem cogi, si matrimonij vinculum ante solutum fuisset.

NB. Si vxor infidelis marito ad fidem conuerso, alias nuptias celebrauit, ille autem postea ad infidelitatem reuertatur, restituenda est ipsi vxor sua,

Gggg 5

sua,

ſua, ſi aliam poſt baptiſmum non duxit. Quia alterum matrimonium, nondum ſoluto priore ab uxore inualide contractum eſt, propterea quod facultas ſoluendi matrimonium per tranſitum ad alias nuptias à Chriſto Domino conceſſa ſit in gratiam coniugis fidelis, non infidelis. Quamvis in hoc caſu diſpenſatio fieri poteſt, cum matrimonium in infidelitate contractum perfectam ſacramenti rationem non participet.

Præterea ſi vxor infidelis à marito ad fidem conuerſo, ſeparata cū alio fornicetur, poſtea ipſa quoque conuertatur tametiſi hoc caſu, vir eam repellere non prohibeatur propter violatam coniugij fidem tamen neuter ad alias nuptias tranſire pōt.

3 Si infidelis coniunx ſponte recedat, vel ſine iniuria Creatoris cohabitare non vult, alter ad fidem conuerſus alias nuptias contrahere iure ſuo poteſt, quibus prius matrimonium penitus diſſoluitur. Ita habetur in capite quinto de diuortiis.

4 Si infidelis cum fidele coniuge cohabitare cupiat ſine fidei contumelia, quamvis Eccleſia propter periculum non permittat (ideoque probabile ſit, coniugē conuerſum ad alias nuptias nihilominus tranſire poſſe, eo quod ratio cur Apoſtolus in fidei fauorem permittat coniugi conuerſæ aliud matrimonium contrahere, ne ſcilicet coniunx fidelis ſeruituti ſubiectus ſit, ſi à coniugio nō ſine incontinentiæ periculo abijcere debeat, etiam locum habet, quotieſcunque infidelis poſt conuenientem admonitionem ad fidem ſe conuenterere recuſat, tamen hoc caſu prius ſedes apoſtolica conſulenda erit, quam fidele permittatur tranſitus ad aliud matrimonium.

Sial.

Si alter coniugum in Apostasiam labatur, neq; nocenti, neque innocenti vnquam licitum est, aliud matrimonium contrahere. Quia matrimonium inter fideles est ratum ac indissolubile propter rationem sacramenti.

Si ambo coniuges infideles, Christi fidem & baptismum suscipiant, eorum matrimonium fit ratum & indissolubile, Ratio, quia hoc ipso, quod baptismum consentiunt inter se cohabitare, eumque consensum signo quocunque declarant contractum antecedentem matrimonij confirmant, & ratificant, ipsiq; modo incipiunt esse sacrum symbolum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Neque tamen assentior Thomæ Sanchez dicenti. (*Eo ipso quo baptizantur, consentire eos in matrimonium, & sit insolubile, signetque Ecclesie cum Christo vniorem*) hoc enim vniuersim verum non est, quia potest coniux baptizari cum proposito discedendi à coniuge suo fideli per dispensationem summi pontificis. NB. Si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento V. C. consanguinitatis, affinitatis iure tantum ecclesiastico dirimente, verum ac ratum censerit debet post eorum conuersionem quia infidelitate contrahentes canonicis constitutionibus non obstringebantur secus verò est, si impedimentum matrimonij ex iure naturali fuit. V. C. si pater filiam vel frater sororem duxerat.

C A P. IV.

De matrimonio clandestino.

Clandestinum matrimonium dicitur, quod sine parrocho, testibus & publicationibus celebratur,

bratur, olim seuerè prohibitum & illicitum propter multa damna & peccata, quæ plerunque ex eo Veneris potiusquàm Dei causa contrahi solito oriebantur, validum tamen erat. Et infideles etiam iam ita contrahentes cum Ecclesiasticis legibus non adstringantur, de peccato damnari non possunt per se loquendo.

- 2 Iure autem nouo Trid. sess. 24. c. 1. de reformatione matrimonij irrita sunt matrimonia clandestina. Nam Ecclesia potest formam contractui matrimonij præbere, qua non seruata irritum sit. Sicut quæuis Respublica ob iustam causam certum personarum genus V. C. pupillos, prodigos, ad contrahendum inhabiles reddere, & contractus aliquos, vel vltimas voluntates certa solemnitate destitutas ipso iure infirmare potest: Vnde sequitur, quod Respublica Ecclesiastica etiam infirmare possit clandestinum matrimonium propter annexam rationem sacramenti ob publicam animarum vtilitatem. Neq; tamen inde cõcluditur, quod Ecclesia materiã & formã sacramenti matrimonij mutauerit per se & directè, sed solum inditectè & per accidens mutat, & vel potius impedit sacramentum si immuret vel destruat ipsam materiam in qua sacramentum fundatur. Quemadmodum si quis vinum physicè corrumpat V. C. multam aquã infundendo, vt iam non sit materia sacramenti Eucharistæ: ita etiam Ecclesia mutauit & infirmauit contractum naturalem matrimonij clandestini, & consequenter, ratione sacramenti abstulit, quippe quod ex Christi institutione illegitima viri ac fæminæ coniunctione seu contractu fundatur.

Paro-

Parochus, aliusue ordinarius Episcopus Capitulum matrimonio assistens, debet esse proprius, vel utriusque vel saltem alterius sponforum, etiam vagabundorum in loco ibi morantur, sed non sine licentia ordinarij: validum tamen erit. Imò parochus extra parochiam validè assistit matrimonio suorum. Nam lex correctoria strictæ interpretationis esse debet. Trident. autem constitutio correctoria est iuris antiqui. Ergo non extendenda, sed potius strictè interpretanda est salua proprietate verborum, quæ hic servatur quandoquidem Concilium tantum requirit proprij parochi præsentiam, quæ in casu etiam extra parochiam bene consistit, cum non agatur de exercenda iurisdictione contentiosa; peccat tamen parochus, si in aliena parochia sponis suis solemniter ac publicè assistat.

Parochus matrimonio assistere potest, licet parochus sacerdos non sit, sed alteri, quam sacerdoti assistendi facultatem committere nequit, patet ex verbis Concilij.

Parochus matrimonio assistere potest, licet excommunicatus non tolleratus sit, modo titulum ac possessionem parochiæ obtineat. Ratio quia assistere matrimonio, non est actus iurisdictionis vel administrationis cum etiam ab invito seu coacto validè præstari possit, sed est actio testimonij ex iuris dispositione ad matrimonij substantiam requisitus. Deinde etsi excommunicatus, tamen ut ponimus, verè manet parochus quod Concilium requirit. Volunt tamen aliqui quod non possit excommunicatus non tolleratus sacerdos ~~aliud~~ sub-

sub-

dare alteri licentiam, qua is alioquin non qualificatus idoneus reddatur ad actus legitimum valorem, videtur esse exercitium iurisdictionis.

Contra verò parochus non excommunicatus potest excommunicato dare licentiam saltem validè, imò etiam licitè in necessitate.

6 Præsentia testium debet esse moralis, vt intelligat, quid agitur & testari possint, non infantes, amentes, dormientes, sed necesse non est ad matrimonij contractum, vt habeant qualitates, quæ in aliis causis ciuilibus aut criminalibus requiruntur, & nihil interest, si sint impuberes, fœminæ, infames, excommunicati, infideles parente, liberi, serui. Nam Trid: Constitutio veteris iuris correctoria extendi non debet, præsertim cum procedat contra valorem matrimonij, cuius causa fauorabilis est: sicuti eadem ratione in fidei fauorem eiusmodi testes admitti solent. Imò si de matrimonij valore postea lis in iudicio oritur ordinariè sufficere tales testes ad fidem rei gestæ faciendam notauit Sanchez.

7 Decretum Concil: Trid: requirentis parochi ac testium præsentiam non obligat in locis, vbi ea constitutio nunquam promulgata aut recepta est post triginta dies à die publicationis. Quare Catholici validè matrimonium contrahunt V.C. in Saxoniæ coram prædicante, sed etsi in aliqua vniuersitate decretum promulgatum fuerit, modo tamen expulsis Catholicis sacerdotibus, non adsint proprii pastores, validè sicut prius coram prædicante vel sine prædicante matrimonia contrahi poterunt. Cum enim his locis tali rerum statu decre-

tum
stim
trah
D
Luch
Aug
pisc
men
cum
dat a
celeb
rum
ficio
Sa
matr
habe
denu
ne irr
chus
An
publi
conci
duor
consu
morta
denu
pertir
De
fieri d
nr,
dum.
De

tum Concil: Trid: seruari non possit, non est existimandum libertatem matrimonii validè contrahendi impeditam esse.

Denique licet in ciuitatibus Germaniæ, quibus Lutherani cum Catholicis permixti viuunt V. C. Augustani ciues reuera in spiritualibus subsint Episcopo suo, imò etiam parochio Augustano, tamen existimandum haud est, summorum pontificum voluntatem esse, vt Trid: decretum se extendat ad matrimonia illorum sine legitimo pastore celebrata, ne multa incommoda oriantur, si eorum filii legitimè nati non sint neque capaces officiorum factorum ordinum.

Sacerdos Catholicus non prohibetur assistere matrimoniis, hæreticorum, quos in sua parochia habet nam post Concil. Constant. hæretici non denuntiati, non sunt vitandi, ne quidem in sanis, *sacris.* ne irreuerentia irrogetur sacramento: cum parochus non sit minister sed testis.

Ante matrimonium tertium denunciations publicæ tribus festis etiam non festis, dummodo concio coram populo frequenti habeatur saltem duorum dierum interuallo intercedente (excipe consuetudinem loci) fieri debent, id quod sub mortali cum materia præcepti grauis, sit quæ tamè denunciations ad substantiam matrimonii non pertinent, quasi iis intermissis irritus existat.

Denunciations in vtriusque sponsi parochia fieri debent, quamuis id non vbique obseruetur, vnde ad consuetudinem loci attendendum.

Denunciations ob iustam causam (V. C. si magna-

magnates contrahant, si ob senium, status disparitatem, denunciations cum pudore sponforum, vel familiae iunctae essent, aut si timetur, matrimonium ~~ante~~ consanguineis malitiose impediendum) remitti debent, vel vna sola denunciatio pro trina fieri, imminente V. C. tempore aduentus, quadragesimae. Imò si Episcopus accedi non possit etiam parochus poterit denunciations remittere, quia licet parochus non comperat ius dispensandi in denunciationibus, nisi ex delegatione Episcopi, pertinet tamen ad illum in casu necessitatis declarare, legem de praemittendis denunciationibus per Episcopum cessare. Vnius exemplum manifestum est, si quis morti vicinus cum concubina contrahere velit, vt securiore animo decedat, proles legitimetur.

Nulla culpa est per se loquendo matrimonium ante benedictionem consummare.

13 Primae nuptiae secundum antiquissimam Ecclesiae consuetudinem benedici debent. Secundae non item, quia benedictio alicui rei semel collata, iterari non debet. Consuetudo tamen iam obtinuit, vt nuptiae Virginis cum viduo benedicantur. Etiam primi viri non vidui cum vidua, sed intus seruanda est consuetudo regionis.

14 Claudestina sponsalia omni iure valida & obligatoria sunt, & parochi praesentia nequaquam requiritur, quod si Parochus adhibeatur monendi sunt homines rudes ob talem desponsationem, de futuro non esse matrimonium inter eos contractum, vt sciant fornicationem, mortalem fore, si carnaliter coniungantur ante nuptias, ideoque
non

non permittendum, vt post talem desponsationem ad eandem domum commigrent.

Si sponsi in solemnibus sponsalium contractu **15** utantur verbis de presentibus, non debet idcirco matrimonium ratum censeretur. Ratio, quia praesumi non debet sponsus voluisse, nondum praemissis denunciationibus matrimonia cum mortali scelerare contrahere. Quare licet vsi sint verbis de presenti: videatur tamen voluisse contrahere sponsalia sicut alij solent: Licet aliis verbis externis vsi fuerint. Nam verba intelligi debent secundum naturam contractus, qui instituitur. *Et intelligentia verborum ex causis est sumenda dicendi: quia non sermonis, sed sermo rei subiectus est id est inseruiens c. intelligentia de verborum significatione, secundò tamen si ponamus sponso- rum expressam intentionem fuisse matrimonium contrahendi, non tamen id efficere potuerunt, si hanc suam voluntatem parochi & reliquis testibus non significauerunt. Suppono enim eos existimasse non matrimonium, sed sponsalium tantum contractum esse inter se, ideoque quod tunc inter sponso- rum ageretur ignorasse. Sin vero statuamus eos probè sciuisse, quid agere intenderent sponsi, tunc dubitare non potest, esse matrimonium validum, quamuis illi- cite contractum, ideoque & pœnis quibusdam canonicis subiectum.*

Ob intermissas matrimonij denunciations **16** canonicae pœnae incurruntur, primò cum alioquin proles nata ex matrimonio cum occulto impedimento, bona fide alterius saltem coniugis in ecclesia celebrato ex iuris dispositione, ac-

H h h h

priui-

priuilegio legitimo censeatur, si tamen publica
 matrimonij denunciations non sine crimine in-
 termissæ fuerunt tali priuilegio proles priuatur.
 Secundo si quis alioquin intra gradum prohibi-
 tum ignoranter contraxit præmissis denunciatio-
 nibus facili detecto postea impedimento, dispen-
 sationem à papa obtinere potest. Sin verò dictas
 solemnitates in contrahendo matrimonio negle-
 xerit, spe consequendæ dispensationis in pœnam
 criminis carere debet, quia dignus non est, vt Ec-
 clesiæ benignitatem facile experiatur cuius salu-
 bria præcepta temerè contempfit.

C A P. V.

De matrimonio coactò.

Matrimonium graui metu ad id iniustè incul-
 celebratum, iure Ecclesiastico irritum
 est: Ratio peti debet ex discrimine inter ma-
 trimonium & alios contractus, quod hi si causa
 metus iniusti celebrati sint, postea per exceptio-
 nem vel iudicis sententiam rescindi possint: At ve-
 rò matrimonium, si semel per mutuum consen-
 sum validè contractum sit, præsertim si etiam cõ-
 summatum rescindi nunquam potest ob sui indif-
 solubilitatem: Ergò necesse erat, vt ab initio
 ipsa iuris constitutione vis iniusta matrimonio
 impedimentum valoris afferret. Dixi autem graui
 metu, nam leuis metus non solet æstimari à iuri-
 bus, quia alioquin plurimè dispensationes & con-
 tractus in controuersiam vocarentur, cum leuis
 metus

metus facile interuenire, vel quasi interueniret,
allegari probarique possit. Idque sentietur d. in
de professione Religionis.

NB. Si quis ad conciliandum animum iudicis
(incarceratus) ex metu graui contrahat matri-
monium, NB. quia metus iniuste incussus non est.

Nihil refert hoc loco, vtrum metus iniustus ab
ipso contrahente an ab alio incussus sit, quia iura
non in odium metum incutientis sed in fauorem
libertatis matrimonij, metus impedimentum sta-
uerunt.

NB. Matrimonium metu iuste incusso à iudi-
catorum V. C. minimè infirmatur.

NB. Si teneamus, quod docui lib. 3. tract. 4. c.
n. 3. sponsalia metu graui celebrata ipso iure irri-
tè esse, dicendum est, eum qui metu graui alterum
regit ad matrimonium ante iudicis sententiam
non obligari ad illud ratificandum; modo pro
omni ea occasione illud, alio modo satisfieri
possit: Ratio, quia contractus onerosus, & reci-
procus non potest claudicare, seu ex vna tantum
parte obligare si ex altera parte obligatio nulla
subsistat secus est in contractibus, qui ipso iure ir-
riti non sunt, quamuis rescindendi, hi enim pos-
sunt claudicare, videlicet ex vna tantum parte
obligationem habere efficacem, ex parte altera
vero inefficacem, quia per exceptionem elidi
potest.

Metus reuerentiæ non censetur esse iustus, &
sufficiens ad infirmandum matrimonium, nisi a-
iuncta sint V. C. scilicet & minæ patris.

4 In dubio, vtrum metus grauis in matrimonij contractu interuenerit pro parte negatiua, adeoque pro valore matrimonij iudicari debet, eadēque ratio est de religionis professione: Ratio, quia licet maximopere curandum sit, vt matrimonium in perpetua coniunctione consistens libera voluntate contrahatur, ideoque sponsalia si quocumque etiam leuiore metu per vim extrinsecus iniuste incusso celebrata sint, facile dissolui possint, seu propria metum patientis opposita exceptione, seu iudicis implorata auctoritate postquam tamen semel matrimonium contractum est, potius est, vt validum, quam vt inuaidum iudicetur, cum matrimonii causa fauorabilis sit, idque partim propter reuerentiam sacramenti, partim quia Reip. & prolis educandæ interest, vt matrimonia non soluantur nisi eorum infirmitas, seu impedimentum dirimens appareat.

Cæterum si matrimonium graue metu cogente contrahatur inter infideles, qui neque caesareis legibus subiecti sint, validum censerī debet; quippe cum consensus metum patientis, licet in voluntarium mixtum habeat, absolutè tamen voluntarius & liber sit, sicut dixi lib. 1. Tract. 1. ca. 6. n. 7.

C A P. VI.

De matrimonio simulato.

1 **S**I vnus contrahentium animum simulatum habeat omni iure irritum est matrimonium, quia sine vero consensu non subsistit contractus
matri-

matrimonij, simulatus autem consensus non est
 verus consensus. Ergo. Verum deceptor (sacrile-
 gus) grauius contra reuerentiam sacramenti pec-
 catis & iniuriam inferens damnum iniuste illa-
 tum compensare debet, deponendo animum si-
 mulatum & verè consentiendo.

Quibusdam casibus verò deceptor non obli-
 gatur ad verum matrimonium contrahendum,
 sed aliam puellæ compensationem facere potest.
 Primo, si decepta pro virgine se falsò iactauit: nã
 deceptio deceptione tollitur. Secundo si ex tali
 matrimonio infelices exitus timeantur. Tertiò si
 deceptor aliud postea matrimonium vero con-
 sensu contraxit.

Coniugi affirmanti, quamuis iurato se fictè cõ-
 traxisse, fides habenda non est. donec clarè id de-
 monstrat, quia præsumi debet idem fuisse in cor-
 de, quod fuit in ore iuxta L. labio ff. de supellecti-
 bus legata, ibi non arbitror, quenquam dicere, quod non
 fecit. Alia verò ratio est in foro pœnitentiæ. Est enim
 iudicium hoc. In foro iudiciali creditur homini contra
 se, sed non pro se simpliciter asserenti. In foro autem pœ-
 nitentiæ creditur homini pro se & contra se.

CAP. VII.

De matrimonio Conditionali.

Matrimonium contractum sub conditione i-
 nterrelata in præsens, vel præteritum V. C. con-
 tractus, si filia Titij es, si virgo es, si pater
 mortuus est, statim valet, si conditio vera est, &
 non

Hhhh 3

non vera, si conditio falsa: Ratio, quia contractus quilibet ex conuenientium voluntate legem & conditionem accipit: Si igitur ea sit contrahentium voluntas, vt si hoc existat, stipulatio rata sit, si hoc non existat, stipulatio irrita existat, ita statim erit, sicut inter se contraxerunt. Quare dicitur; *Quod nulla sit venditio, qua in prateritum refertur vel in presens*, idque propterea, quia non suspendit actum, sed facit, vt statim valeat, vel non valeat. Neque verò interest, etsi contrahentes ignorent positam conditionem esse, si V. C. ita conueniatur, si pater tuus adhuc viuit, tū vxor mea sis; Quis non videt, contractum secundum contrahentium voluntatem ratum esse oportere, si conditio in se vera est, etsi contrahentes veritatem adhuc ignorent.

2 Probabile est, quod matrimonium contractū sub conditione honesta relata in futurum ea eueniente, perficiatur absque nouo contrahentium consensu V. C. Accipio te in meam, si pater tuus consenserit si 100. in dotem dederit; Idem sentendum de matrimonio spirituali, non item de electione, aut assumptione ad Episcopatum: Nam electionis vota conditio nata irrita habentur c. 2. de elect. in 6. Nunc probatur assertionis prior pars, quia conditio propriè data, & in futurum collata, suspendit actum, cui opponitur, quod tamen intelligi debet, si conditio apponatur in ipso contractu; sin verò contractus semel absoluto consensu perfectus sit conditio deinde illi apponi non potest iuxta L. 4. cod. de donat. Perfecta donatio conditiones postea non recipit. Quamuis

is verò alia stipulationes & contractus absolute
 rati postea noua stipulatione vel contractu per
 mutuum consensum sub conditione infirmari
 possint, V.C. nisi hoc fiat, aut nisi hoc feceris, vt
 donatio, venditio rescindi queat. Secus tamen est
 in matrimonio, quod semel validum nulla volun-
 tate contraria dissoluitur. Posterior pars asser-
 tionis probatur, quia contractus celebratus sub
 conditione honesta pendente in futurum ea im-
 petra purificatur & perficitur, sicuti habetur in l.
 anterior ff qui potiores in primo. *Cum semel condi-
 tionis interposita est, sine conditione facta esset.*

NB Cum Christus Dominus matrimonij
 contractum ad sacramenti dignitatem eleuauit,
 non mutauit eius naturam: quare sicut in alijs
 contractibus ipsisque sponsalibus; sic etiam in
 matrimonio, si conditionalis consensus vsque ad
 conditionis euentum continetur seu non reuo-
 catur, ipsa eueniente purus & absolutus efficitur
 naturali rerum aestimatione. Profectò si infide-
 lium inter se matrimonium contrahant sub condi-
 tione honesta pendente in futurum, vix negari
 potest, quin ea eueniente purificetur. Ergò
 non dicendum de matrimonio fidelium, cum
 nullum in hac re probabile discrimen afferri
 possit inter matrimonium & alios contractus,
 quæ inter matrimonium fidelium & infide-
 lium.

Necessè est ad matrimonij valorem, vt paro-
 chus ac testes sciant appositæ conditionis euen-
 tum. Ratio, quia parochus alijque testes à Concil.

Hhhh 4 Trid.

Trid. requiruntur, vt intelligant matrimonium verè & substantialiter contractum esse, de eoque in externo foro ad multa vitanda incommoda testificari possint; nisi autem intersint euentui siue impletioni conditiones, nesciunt, vtrum matrimonium verè & substantialiter contractum sit, neque de eo in foro externo testificari possunt, sed tantum de contractu inchoato & adhuc in futurum pendente, & dissolubili. Ergo. Sufficit autem, si ipsi contrahentes coram Parocho & testibus postea affirmant conditionem, quam contractui apposuerant esse impletam: Nam hoc ipso censentur purificare contractum.

4 Per se loquendo non peccant consanguinei, vel obitum impedire impedimento iuris humani, si matrimonium verbis de futuro spondeant sub conditione dispensationis papalis. Nam talis promissio versatur circa rem licitam, videlicet matrimonium contrahendum; Per accidens tamen illicita potest fieri talis desponsatio seu ratione scandali si nesciatur, qua conditione inter se promiserint, vel ratione damni V. C. alicuius infamiae, quam sponsi passuri sint, si à Papa ipsis dispensatio non concedatur.

5 Si impediti spondeant verbis de presenti sub conditione relata in futuram dispensationem papae eam impetratam non videtur matrimonium consistere absque nouo consensu coram parocho & testibus expresso, quia nunquam praesumendum est, voluntatem dispensantis pontificis esse vt matrimonium praeterito tempore contractum valeat, sed vt post collatam dispensationem praemissis de-

is denunciationibus in faciem Ecclesiæ contra-
here liceat, sicut aperte ex Bullis Pontificijs colli-
gitur.

Si quis matrimonium cum duabus contraxit,
sub conditione in futurum, potior habenda est
ratio prioris desponsationis, ut quodcumque
eius conditio euenierit, illi standum sit. *Quia quod
semel placuit amplius displicere non potest.* Reg. 27. in 6.

Si quis matrimonium cum duabus contraxit
sub conditione in futurum, illud validum est, cu-
ius conditio prius impletur. Est enim discrimen
inter sponsalia & matrimonium, quod illa non i-
ta pendeant à voluntatis cōtinuatione, quia quā-
tumuis aliquis iniuste consensum reuocet, nihilo-
minus obligatus erit conditione eueniente. At ve-
rò matrimonium eueniente conditione perfici
non potest, si consensus revocatus fuerat, siue sim-
pliciter & omni modo, siue ex parte, ita videlicet
ut si posterioris matrimonij conditio prius eue-
niat, velit illud rectum ac firmum esse, non ob-
stante promissione priore. Etsi enim hoc iniquum
est, tamen validum, quandoquidem matrimoniū
purè contractum vel euentu conditionis purifica-
tum præiudicat primo matrimonio, cuius condi-
tio adhuc pendet. NB. si conditiones vtriusque
matrimonij simul eueniant, neutrum validum e-
rit, quia incertitudo vitiat matrimonium c. literis
2. de sponsalibus.

Matrimonium contractum sub conditione
quæ eius substantiæ, vel substantiali proprietati
repugnat, ipso iure irritum est V. C. *contra hoc ecū-
figenerationem euites, aut si pro quæstu ad alte-
randam te tradas, &c.*

Hhhh § Coroll.

Coroll. 1. Valide contrahitur matrimoniū cum intentione adulterandi, à coniuge sine iusta causa se separandi, item prolis generationem impediendi, sed non validè contrahitur matrimonium, si talia in pactum deducantur, quæ substantiali obligationi status matrimonij directè aduersantur V. C. Contraho tecum si generatioem erites &c. ideoque eam elidunt & infirmant.

Quo loco resolvitur quæstio. Nam Calvinistæ qui persuasi ob coniugis adulterium alteri coniugi ius competere matrimonij dissoluendi, contrahant ea ipsa conditione, si vxor V. C. fidem matrimonij violauerit, vt liceat marito in ea repudiata aliam ducere. Verumtamen quia hæc iniqua & impia intentio in pactum matrimonij deducitur, dicendum illud nihilominus validum & indissolubile esse.

Coroll. 2. Valet matrimonium, si quis contrahat cum intentione eo nunquam vtendi, petendo, aut reddendo debitum sicut constat ex iis, quæ dixi.

Non tamen valet matrimonium, si conditio siue pactum adiiciatur, quo ius seu potestas matrimonij impeditur V. C. Accipio te ea lege, vt in perpetua continentia mecum viuas. Nam matrimonij substantia, quæ maximè consistit in iure vtendi, & obligatione præstandi corpus coniugi; tale autem ius & obligatio tollitur dictis pactis & conditionibus.

NB. Ius reale, quod per matrimonij contractum acquiritur, aliud non est, quam ius vtendi corpore coniugis ad vsum generationis.

NB. Id

NB. Id commune est contractui, ut apponi non possit in ipso contractu aliquid eius substantiæ repugnans, licet postea apponi possit per modum noui contractus priori ex parte repugnantis. Ita matrimonium licet à principio apponi nequeat conditio, eius substantiæ repugnans; potest tamen postea apponi per nouam mutuam pactio- nem ad tempus vel in perpetuum permanente, interim vinculo matrimonij quoad alia V.C. mu- tuam cohabitationem, prolis educationem, fi- dem seruandam, ut cum alia persona copula car- nalis non habeatur.

NB. Nunquam petere debitum, non est con- tra fidem matrimonij, & bonum prolis, sed obli- gare se ad nunquam petenda, quod proinde fieri non potest.

Conditio adiecta contractui suspendit eius va- 10
lorem, sed non modus adiectus. Exemplum prio- ris est, si alicui fundus legetur sub conditione, si nauis ex India venerit, & non impleta conditio- ne legatarius moriatur, corrumpit legatum, quoad modum verò adiectum valorem secum habet contractus, etiam antequam modus impleatur, ita ut res legata vel donata sub tali modo ante e- ius impletionem, ad hæredes transmittatur, si ta- men modus tempore debito non impleatur, in- terdum reuocari potest, quod sub tali modo pro- missum est; Quamobrem cauendum est, fore, ut modus impleatur, exemplum: Lego Titio cen- tum, ita tamen ut mihi sepulchrum ædificet. Do- no tibi 100 non tamen baptismum suscipias.

Conditio impossibilis adiecta contractui V.C. 11
Done

Dono tibi equum, si digito cœlum attigeris, statim eum vitiat: admodum impossibilis. Dono tibi equum, ut hæreticus fias, ut cœlum digito tangas, non vitiat, sed habetur pro non adiecto (quia modus dispositionem, cui adicitur, non suspendit, sed validam esse supponit) præterquã si modus repugnet substantiæ contractus V. C. contraho tecum si generationem euites, vel donec inueniam aliam ditioem. Hæ enim verborum formulæ indicant, non conditionem propriè dictam & suspensiuam sed potius modum, quem contrahens post matrimonii contractum obseruari velit. nihilominus tali adiecto modo matrimonium vitari respondit Greg. IX. Ratio est; quod id commune sit omnibus contractibus: quippe dum contrahens inter ipsum contrahendum vult alterum obligari ad quippiam repugnans ipsi substantiæ contractus, satis significat, se non habere voluntatem verè celebrandi talem contractum; sine voluntate autem contractus non efficitur.

Idem etiam habet in professione religionis videlicet matrimonio spirituali V. C. spondeo Deo paupertatem, ita tamen, ut proprium possidere liceat: satis enim tunc apparet, non esse animum verè vouendi.

- 12 In dubio, num conditio impossibilis, sed non repugnans substantiæ matrimonii, V. C. si patrem occidas apposita fuerit tanquam propriè dicta, & suspensiuam conditio: an verò tanquam modus suspensiuus, hoc posterius præsumi debet ob fauorem matrimonii.

PARS TERTIA.

De bonis matrimonij.

Etti matrimonij contractus eiusque vsus per se honestus sit, quippe à Deo institutus : tamen per accidens ob depravatam hominis naturam ex lapsu in peccatum quædam incommoda ac detrimenta habet. Primò: Quod coniugalis copula secundum speciem naturæ conuenit cum opere fornicationis turpi. Secundo: Quod propter concupiscentiæ ardorem & immoderatam voluntatem hominis ratio absorbetur in opere coniugij. Tertio: Quod veluti speciem seruitutis perpetuæ secum affert, à qua homo suapte natura abhorret libertatis amās, vt Apost. signific. 1. Cor. 7. *Alligatus est uxori, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Ea propter Theologi tria bona obseruârunt in coniugio, quibus triplex illud malum seu incommodum compensetur, Fidem, Prolem, & Sacramentum, sumpta doctrina ex S. August. *In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur.* In sacramento, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa, ne causa quidem prolis alteri coniugatur.

CAP.

C A P. I.

De debiti conjugalis redditione.

HÆc obligatio pertinet ad bonum fidei conjugalis, secundum quam coniuges inter se coniugij usum præstare debent, teste Apostolo 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro.* Idque siue expresse petatur, siue tacite, vt cum vxor præ verecundia verbis petere non audeat: Estque hæc obligatio reddendi sub mortali, quippe circa rem grauem, si alter serio, instanter & rationabiliter petat, vt proinde confessarius interdum coniuges de præstatione huius debiti commonefacere debent. Dixi serio, nam tergiuersatione & precibus aliquem auertere, si id non valde ægrè laturus sit nulla, vel leuis est iniuria. Dixi etiam si rationabiliter exigatur: videlicet tempore, loco opportuno, non item si nimis frequenter & importune petatur. Aut si in loco sacro non decente V.C. in Ecclesia, vbi sine sacrilegio conjugalis actus exerceri non potest; excepto casu necessitatis, si nimirum coniuges diu in loco sacro inclusi ob humanam fragilitatem in periculo incontinentiæ versantur.

NB. Coniuges non peccant mortaliter, si intra vas naturale, modo aut situ indebito coniugij actum exercere aggrediantur, nisi probabile pollutionis periculum timeatur: Nam hoc sepositum non peccatur in substantia actus conjugalis, sed tantum in modo accidente, qua de re dixi lib. 3. l. 4. num. 14.

Coniux

Coniux contra iustitiam delinquit, si immoderatis ieiunijs alijsque carnis afflictionibus, notabiliter se impotentem reddat ab usum coniugale.

Coniugi adultero, si eius adulterium cognitum est, iuste coniugij debitum negatur, non quod usus coniugalis post adulterium illicitus sit, sed quod coniux innocens coniugi adultero iuste negare possit, quia frangenti fidem fides merito non servatur.

Coniux adulter, dum eius adulterium cognitum non est, debitum exigere non prohibetur, etiam ad id compellere potest. Quod enim coniux propter adulterium priuetur iure petendi debitum, poena quaedam est, ad quam adulter se ipsum condemnare non debet nemine agente aut excipiente: praesertim cum coniux a debiti petitione abstinere plerumque non possit, quin criminis commissi suspicio aliane incommoda oritura sint.

Si debitum reddituro graue salutis corporalis periculum timeatur, iusta est causa denegandi, ut si petens peste infectus, vel febris hectica laboret: Ratio; quia coniuges in matrimonij contractu corporum potestatem inter se dant salua suarum personarum seu indiuiduorum incolumitate. Excipitur nisi rationabilis necessitas cohonestet, ut si periculum infectionis propter coniugis lepra, vel morbum gallicum diuturnum sit. Nam valde difficile quibusdam accidit in perpetua lucta contra motus carnales perseuerare. Non tamen tenetur coniux sanus cum periculo infectionis leproso aut infecto reddere debitum, etiamsi periculum in continentia leproso immineat: quia nemo tenetur, propriam sui corporis vitam aut incolumitatem propriam

priuati hominis peccato vitando exponere: cum
is in necessitate simpliciter positus non sit, sed a-
lia concupiscentiæ remedia adhibere possit.

6 Si coniunx leprosus fiat alter coniunx sanus
non omnino liberatur obligatione debiti, exce-
ptis quibusdam casibus. Primò, Nisi leprosus
coniunx in hac re iure suo cedat. Secundò, Nisi
coniunx sanus maximum à lepra horrorem sen-
tiat. Tertiò, Nisi vxor vltima & perfecta specie
lepræ quæ leonina dicitur, infecta sit; vbi nota,
quod viro ex congressu cum leprosa maius peric-
ulum immineat, quàm vice versa. Quartò, Nisi
Loci consuetudo talem frequentem accessum ad
leprosos propter contagionis publicæ periculum
prohibeat.

NB. Nullo casu licitum est potione medica
seu pharmaco generationem seu conceptionem
prolis impedire. Nam id directè repugnat princi-
pali fine matrimonij, & mulieres mirè abuterentur,
si haberent licentiam impediendi generatio-
nem. Cur autem foetus nondum animatum, si ex
eo matri mortis periculum imminet, medica-
mentis expellere liceat, non alia causa reddi po-
test, quia foetus est veluti actualis aggressor, & p-
xima ac directà causa mortis maternæ: Ergo ius
habet mater se defendendi; At verò foetus nondum
in rerū natura existens, vim nullam infert, contra
quam iure naturali se defendere liceat.

7 Si ex vsu coniugali probabile periculum mor-
tis proli conceptæ timeatur iusta est, causa negan-
di. Cæterum si fœmina experta sit, se prolem vi-
uam edere non posse probabile, est nihilominus
petere posse ac debere, quia melius videtur pue-
ro,

10, ut existat priuatus uisione Dei, quam ut omnino non existat.

Si causa nocimenti, quod proli inferetur, temporalis sit, plerumque culpa venialis est sine necessitate coniugij actum exercere, ut C. tempore menstrui, tempore purificationis post partum. Etiam si timeatur lepra infanti, si periculum incontinentiæ timeatur coniugibus, necessarium est petere & reddere debitum. Quia ex vna parte ad matrimonij id exigit, in perpetua vel valde duratura continentia in coniugio seruanda sit: Ex altera verò parte melius est proli ut infirma nascatur, quam ut omnino non nascatur.

9 Coniugi petenti in ebrietate, aut amentia sine peccato negari potest, cum non rationabili modo petat. Vtrique coniuges in amentiam incidentes, reparandi sunt, donec ad mentem redeant.

10 Qui ante nuptias votum continentiae edidit, coniugij debitum à coniuge petere non potest ante desponsationem, quamuis petenti reddere teneatur. Ratio, quia ad petendum debitum, coniunx non obligatur, sed solum ad reddendum. Solutò tamèn matrimonio, continentia seruanda est. Deinde coniugi in adulterium incidente, debet innocens votum suum perfectè seruare: cum sine iniuria coniugis possit abstinendo etiam à conditione.

11 Qui post matrimonium ante eius consummationem continentiam simpliciter vouit, nec petere, nec reddere potest, sed religionem ingredi debet, qui enim promittit finem, implicitè etiam promittit executionem medij vnici si illud necessarium

farium intelligat, vnicum autem medium exequendi votum continentiae simpliciter dictae habet coniunx, vt ante consummationem matrimonij religionem ingrediatur, ergo vouendo absolutam continentiam ad id obligasse se censetur. Secus verò dicendum, si id in mentem ipsi non venerit, vel non intellexerit.

- 21 Si coniunx cum consensu coniugis continentiam absolutè vouit, à coniugij actu abstinere debet, tam reddendo, quàm petendo. Sin verò absque consensu votum reddit, seruare illud debet, quatenus potest, videlicet, vt nunquam petat, quamuis reddere teneatur mortua coniuge in continentia manere debet semper.

NB. Coniunx qui ante matrimonium votum continentiae vouit, vel post matrimonium debitum se nunquam exacturum, plerunque debet alteri coniugi votum indicare, ne suspicionem odij vel superbiae concipiat. Quod si nihilominus votum valdè onerosum sit alteri coniugi; puta, quia vxor præ verecundia petere non audet, quando vir voto obstrictus nunquam petit, vel si alteruter coniunx, qui vouendi licentiam absolutè concessit, iam pœnitens concessionis grauibus stimulis carnis agitur, non sine incontinentiae periculo, his casibus voti obligatio cessat, quatenus minoris boni impedimentum esse censetur; tutius tamen est petere dispensationem super voto ab habente potestatem.

- 31 Incestus commissus, cum consanguineo, vel consanguinea coniugis intra primum vel secundum gradū impedit, quominus incestuosus matrimonio vti possit petendo & innocens non tenetur reddere

Idque locum habet, etsi incestus occultus sit) ratio ubi cessat ius petendi cessat etiam obligatio reddendi, Coniunx autem incestuosa in pœnam criminis amisit ius petendi debitum.

Certi casus sunt quibus priuatio debiti coniugalis propter incestum non incurritur primò si ignorantia à malitia incestus excusat, quia coniunx ignorat esse consanguineam coniugis ad quam accedit. Secundò si per videntiam aut graui metu actus coniunx cognoscatur à consanguine coniugis. Ratio, quia priuatio iuris petendi debiti Ecclesiastico iure cõstituta est in pœnâ incestuosi. Ergò si incestus crimè nõ est, pœna hæc locũ nõ habet.

Episcopus per consuetudinem dispensare potest super petendo debito cũ coniuge incestuoso.

Nimia multiplicatio prolis ordinariè nõ excusat à redditione debiti coniugalis, eò quod multiplicatio prolium spectet ad præcipuum finem matrimonij, & melius est, vt viuat proles inops quam non viuat. Validum tamen est pactum & licitum ea causa initum, quamdiu continentia periculum non imminet.

Si culpa coniuncta petitioni coniugalis debiti, conueniat ex circumstantia tenente se ex parte fornicantis, licitum est ei reddere: V. C. marito incestuoso, vel voto castitatis obstricto, si tamen ex circumstantia tenente se ex parte actus coniugalis reddere illicitum est: V. C. si coniunx coniugis debitũ petat in loco sacro sine necessitate.

Si exigere debitum sit culpa tantum venialis, reddere nulla culpa est, quia ordinaria adest causa excusans V. C. ne vxor marito petenti displiceat,

& odium vel rixas commoueat, quare in tali casu plerunquē etiam obligatur ad reddendum.

C A P. II.

De mutua coniugum cohabitatione.

1 **H**Æc est altera coniugum obligatio ad bonum matrimonialis fidei spectans, videlicet, ut cohabitent, mutua obsequia præstent in administranda re familiari educanda prole, ad quæ proinde ab utroque magistratu cogi possunt. Porro cum vir sit caput mulieris, ac familiæ Ephes. 5. quibus perinde imperare potest, quæ ad conuenientem domus administrationem spectant.

2 **M**aritus uxorem & familiam alere debet: Nam ob hanc causam dotem accipit, si autem pauperem duxit ibi imputet, nihilominus eam alere tenetur. Verintamen indotata vxor magis tenetur laborare, quam dotata; si dos marito expressè, vel tacitè promissa sed non soluta fuerit licet is vxori nihilominus cohabitare teneatur, & coniugij debitum reddere non tamen eam alere obligatus est, nisi inops sit, & à parentibus ali non possit: cum etiam vice versa vxor diues marito inopi alimenta præstare cogatur, præterea uxorem à marito sine necessaria causa recedentem maritus alere non tenetur, quamuis dotem ab ea acceperit, *Qui enim non facit quod debet, non recipit, quod oportet.* Vxoris autem officium est, ut maneat in cōsortio & obsequio viri. Quare si id præstare nolit, merito ei alimenta subtrahuntur. Secus est, si ob viri sæuitiam, aliamue eius culpam recesserit.

Item

Item si ob aliam causam discedere compulsa
V.C. ob mariti amentiam, morbum contagiosum
vel etiam ob proprium delictum in exilium missa.

In eiusmodi casibus maritus ad alimenta ipsi
sustanda obligatur.

NB. In defectum mariti ad vxorem & fami-
am alendam obligatur pater mariti alimenta mi-
strare. Quod si vxor ob culpam suam puta adul-
terij, reiecta à marito per diuortium, bona aliun-
de non habeat ad sui sustentationem, tunc ad iu-
uentem pertinebit, ei à marito necessaria obtinere,
dorem mulieris in delicti pœnam lucrari velit.

Vir domicilium arbitrato suo eligit ac mutat, 3

uxor autem eum sequi debet, iuxta vnaquaque 13

Unaquaque mulier sequatur virum suum sive in vita

in morte. Quæ causa est, cur vxor acquirat forû

mariti sui. Item quod dos non exigatur in loco

contractus, sed domicilij quod maritus tunc ha-

bit. Sed limita primò, si in pactis matrimonialibus

certus locus habitationi constitutus fuit, non po-

test deinde maritus discedere, nisi causa de nouo

perueniens, & ante non præuisa id exigat. Secû-

si sine magno incommodo animi & corporis

uxor maritum sequi non possit, quod etiam ob-

tinuandum, quod maritus ad bellum, aut longam

peregrinationem proficiscitur, secus si facile sequi

possit, tunc enim ius matrimonij id postulat, vel

si mulier sciens tali viro nupserit, ideoque tali

viro tacitè se ad id obligauit, tunc comitari debet,

sine animæ periculo possit.

NB. Licet vir & vxor in eo iure pares sint, quod

inter absq; cōsensu alterius ad longū tempus di-

cedere debeat, nisi in necessitate V.C. si princeps

maritum ad bellum euocet. At tamen in hoc matrimonio superior est vxore, quod ille arbitrato suo etiam vxore inuita breuem instituire possit peregrinationem, sed non vice versa vxor sine necessitate absq; viri consensu peregrinari potest.

4 Coniunx coniugem exulantem, si nihil contra fidem matrimonij peccauit, sequi debet nisi moralis impotentia seu difficultas excuset. Fateor tamen, frequentius occurrere posse causam, ob quam tale vxoris infortuniū maritus sequi non teneatur.

5 Coniunx coniugem ab alia persona retentum vindicare sibi potest.

6 Marito concessum est, vxorem delinquentem moderatè castigare, moderatiùs, quàm liberos. Et si ^{etiam} tamen viro subdita sit, est tamen sociā & adiutrix, domesticæ administrationis, ideoque quoddammodo par: Quod si vxor grauissimè deliquit, acris castigatio iudici committenda est.

7 Suppono, quod punire alterum per modum vindictæ actus ~~est~~ iurisdictionis ad potestatem superiorem pertinens comparatione subditorum quæ potestas iurisdictionis exinde quasi naturaliter promanat, quod plures homines in vnam societatem vel familiam coeunt, non enim potest talis potestas diu conseruari, nisi esset in ea potestas coercendi, & puniendi singulos tanquam membra totius corporis, si à rectitudine honestatis declinēt. His suppositis dico, quod pater familias habeat ius delicta domesticorum moderatè & leuiter puniendi. Ratio, quia potestas puniendi prouenit ex conditione communitatis: Quare cum ciuitas seu Resp. sit perfecta communitas ideo qui præsumt ciuitati, habent potestatem

inferendi pœnas graues mortis. At verò familia
 domus est communitas imperfecta, quare, qui
 præest familiæ, videlicet paterfamilias, & partici-
 patiuè etiam materfamilias habent potestatem
 coercendi & pœnas inferendi domesticis, tantum
 modo leues? cuiusmodi est V. C. subtractio cibi,
 et nisi mo-
 verberatio aliqua spectata personæ qualitate.

Fateor ta-
 am, ob qua-
 n teneatur
 a retentum
 Carcerem priuatum constituere sub capitis
 pœna prohibitum est cæsareo iure, non prohibe-
 tur tamen paterfamilias in casu alicuius delicti
 filiam, vel seruum ad breue tempus includere, et
 pœna punitiõnis causa.

Inquentem
 am liberos.
 Socia & ad-
 oque quo-
 è deliquit,
 er modum
 otestatem
 ubditorum
 si naturali-
 in vnam lo-
 nim posse
 in ea pote-
 s tanquam
 ne honesta-
 paterfami-
 moderatè,
 as punien-
 atis; Qua-
 munitas,
 otestatem
 infe-
 In punitiõne domesticorum tria concurrere
 debet. Primò causa puniendi, in tantum, vt pœ-
 na commensuretur delicto, atrociora crimina etiam
 potest paterfamilias punire, sed leuiter, & intra li-
 mites potestatis suæ, ne interea magistratui ius pu-
 blicè puniendi integrum maneat si ad eius tribu-
 nal deferatur. Secundò conditio personæ punibi-
 lis: Nam sunt quædam personæ domesticæ, quas
 propter ætatis maturitatem & status libertatem
 non decet verberare, sicut nec mechanici, qui pro
 constituta mercede laborant à magistris suis ver-
 berare patiuntur. Tertiò Recta intentio punien-
 tis videlicet non ex odio, sed ex charitate erga de-
 linquentem vt emenderetur.

Frater alijque propinqui licet natu maiores, nõ
 habent ius puniendi consanguineos propter de-
 fectum superioritatis. Excepto, si eorum curæ ac
 potestati seu expressè seu tacitè cõmissi sint, V. C.
 fratres pueri in domo fratris, ætate maioris habi-
 tantes.

Nota tamen per modum correctionis potest

frater V. C. sororem moribus leuem etiamsi suæ curæ specialiter non commissæ sit, coercere & castigare ad cauenda damna sorori impendentia, si non castigetur.

NB. Vxor plebea tenetur coquere, lauare, non verò nobilis, eiusmodi enim labores seruales de decente statu eius. Alias obseruandum, quod quicquid mulier V. C. nendo lucratur, sibi acquirit; maritus enim tenetur eam alere ex dote, quod si indotata nupserit, aut ex materia à marito subministrata aliquid conficit, tunc opus ad maritum spectabit.

C A P. III.

De fide thori seruanda.

- 1 **H**Æc est tertia obligatio ad bonum fidei coniugalis pertinens, vt coniux ad aliam personam copulandi causa non accedat, quamdiu coniux eius viuit. Vnde ad alias nuptias transire non licet, priusquam certum nuntium, aliamue moralem certitudinem non minus nuntij aut testis solùm acceperit de morte mariti: Ratio est, quia quamdiu non habetur moralis certitudo, sed dubium aliquod manet de coniugis morte periculum est, ne secundum matrimonium inualidè contrahatur, & fornicatio consummetur. Ergò tutior interim pars tenenda & à nuptijs abstinendum est.
- 2 Propter probabilem non certam credendi causam, quod coniux mortuus sit, non est alteri coniungi, saltem in externo foro permittendū vt maximo;

trimonium aliud contrahat, quia hæc est praxis
 consistoriorum, & factorum canonum constitu-
 tionibus conforme; Ratio verò est, quia Iudex
 præsertim Ecclesiasticus bonum publicum Eccle-
 siæ & reuerentiam sacramentorum præferre de-
 bet priuato commodo: si autem in tali casu licen-
 tia secundi matrimonij derogetur, solùm timeri
 potest periculum incontinentiæ, quod tamen mu-
 lier cum Dei gratia vitare potest. Si autem licen-
 tia concedatur & publica Ecclesiæ approbatio,
 maius imminet periculum publici scandali & ir-
 reuerentiæ, si forte prior manibus adhuc vi-
 uat.

Quod si tamen mulier ex valdè probabili per-
 suasione ac præsumptione & iustissima credendi
 causa, quod maritus mortuus sit, adeoq; bona fi-
 de si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias
 transfret, nihil in tali casu peccaret. Quamobrem
 confessarius in cōscientiæ foro id ipsi permittere,
 & iudex in externo, si post celebratas nuptias cau-
 sam intelligeret, neque mulierem punire, neque à
 secundo marito separare deberet, donec cogni-
 tum esset, priorem maritum adhuc viuere: Ratio
 est, quia in moralibus, in quibus plerunque certi-
 tudo omnino haberi non potest, homini ad insti-
 tuendas actiones suas, sufficere debet probabilis-
 sima, licet nō omnino certa opinio seu præsumtio.

C A P. IV.

De bono prolis.

Prolis generatio est præcipuus finis actus con-
 iugalis, quem proinde coniuges implicite sal-

rem intendere debent. Nisi per accidens ob sterilitatem aut senectutem desperetur proles, ideoque intendi non possit cum nemo operans intendat ad, id quod fieri non posse arbitratur.

² Licitum est coniugio uti ob vitandam incontinentiam, non tantum in coniuge, sed etiam in se ipso. Nam matrimonium post lapsum hominis in peccatum à Deo ordinatum est in remedium concupiscentiæ. I. Cor. 7.

³ Solius corporalis sanitatis causa coniugio uti videtur esse veniale. Nam hæc est sanctorum hominum persuasio, carnalem commixtionem non vacare culpa & deformitate, nisi cohonestetur bono proles, aut bono fidei.

⁴ Propter voluptatem tanquam finem operationis coniugio uti est veniale: Ratio quia non bonum delectabile, quod est naturæ sensitivæ congruum, sed bonum honestum, quod naturæ rationali consonum est, humanarum actionum finis esse debet. Et cum voluptas à natura indita sit, gratia operationis naturalis accedendæ promotionisq; efficienter profectò cum naturali rerum ordine pugnat, quod operationem ad voluptatem refert videlicet ideo operatur V. C. cibum, potum, somnum &c. capit, ut voluptate fruatur.

C A P. V.

De filiis legitimis & illegitimis ac horum legitimatione.

¹ Filij & filia vel legitimi sunt, vel illegitimi, legitimi sunt, qui ex vero matrimonio suscepti

scepti sunt, & qui suscepti sunt ex matrimonio non vero, attamen in facie Ecclesiæ celebrato, & bona fide saltem vnus coniugis consummato. Etsi enim post illorum conceptionem matrimonij impedimentum detegatur, pro legitimis tamen benigna iuris dispositione habentur: dummodo bona fide saltem alterius parentis concepti sunt, quamuis post litis contestationem super impedimento matrimonij, sed ante iudicis sententiam. In dubio etiam ob fauorem liberorum præsumendum est, quod parentum bona fide ex putatio matrimonio concepta fuerint.

Conceptos illegitimè, matrimonium subsequens purgat, si parentes conceptionis tempore ad contrahendum inhabiles non fuerant, & id intelligendum est, quo ad omnia vt nimirum in hæreditate, feudo, primogenitura, non minus, quam alij legitimi succedere, itemq; ad ordines, beneficia, dignitates Ecclesiasticas etiam Episcopales, absq; vlla dispensatione promoueri possint: quia benigna iuris dispositione, ac veluti fictione matrimonium subsequens trahitur retro ad tempus conceptionis liberorum.

NB. Quod si parentes tempore natæ, non item conceptæ prolis ad contrahendum inter se habiles fuerint probabilior & iuri conformior sententia est, quod talis (V. C. ex coniugato cõceptus natus a. post mortem mariti, vel conceptus ex clerico sacris ordinib. initiato, natus verò post dispensatione summi pōtificis) sequente matrimonio nõ legitimeretur. Ratio, quia leges solũ attēdūt ad copulā, quæ si habita est inter personas impeditas, nolunt

lunt

lunt eam purgari subsequente matrimonio sicut colligitur ex illo. *Si vir, viuentē vxore, aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Idq; verum est, etiam si mulier virum, quocum copulata est ignorauerit esse coniugatum.

- 3 Filij illegitimi alij sunt naturales, alii non naturales (spurii) inter quos canonico iure hoc discrimen est, quod illi suscepti sint à parentibus, inter quos tempore conceptionis matrimonium consistere poterat. Alii verò non naturales ex coitu damnato suscepti fuerint, sed secundum ius Cæsareum naturales ii solum censebantur, qui nati erant ex concubina vna domi retenta, qua cum matrimonium contrahere potuisset; non naturalis autem, si cum eorum matre matrimonium contrahi non potuisset. Reliqui autem dicuntur Nothi adhuc hodie qui non habuerunt certum patrem.
- 4 Iure canonico omnibus illegitimè natis etiam spurij ex damnato coitu ortis, parentes necessaria alimenta præbere debent, licet cæsareo iure aliud decretum reperiatur.
- 5 Cura alendi legitimam prolem ad patrem pertinet, cum ob eam rem dotem accipiat, vt onera matrimonij sustineat, familiamque alar, præterquam quod mulier propria lacte natos suos nutrire debeat. Quod ad illegitimam prolem attinet, mater eam primo triennio, postea pater alere tenetur.
- 6 Si mater ob paupertatem, vel infirmitatem puero lactando vacare non possit, aut si nobilis sit,

fit, cui secundum morem patriæ dedecori vertitur prolem lactare, patris impensis, nutrix adhiberi debet.

In defectum patris, aliorumque ascendentium 7 per lineam paternam, mater alijque per lineam eius ascendentes prolem inopem alere coguntur, intellige si proles laborando se honestè non possit sustentare.

NB. Nomine alimentorum comprehenduntur, victus, vestitus, habitatio & cætera quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt, pro cuiuslibet status conditione.

Rectè verò testatur Gail. lib. 2. obser. 89. quod pater filio spurio rectè donet, aut testamento relinquat, quod sit instar alimentorum sicuti & filia dotem competentem eodem iure dare non prohibetur.

Alimenta ea, quæ absolutè necessaria sunt ad 8 vitam, parentes filiis suis quibuscunque & quantumvis sceleratis, naturali iure debent. Non repugnat tamen filium vel filiam ob crimen propter quod iure exhereditari posset etiam post pueritiã priuari posse omnibus alimētis etiam necessarijs excepto casu necessitatis, Estq; sētentia Vasq.

Filij naturales si nec proles legitima adsit, nec 9 vxor superstes, succedunt patri suo ab intestato in duabus vncijs, & vnà cum illis mater æquali portione.

Testamento vel donatione patri concessum 10 est legitimam prolem habenti, naturalibus filiis suis vnà cum eorum matre vnicam tantum vnicam hæredatis relinquere; Sin mater absq; liberis super-

super-

superstes sit, semiunciam; si liberi legitimi non extent, etiam ex asse hæredes filij institui possunt, vel quodcunq; patri placuerit bona sua eis donare potest, dummodo ascendentes si supersunt, legitima non priuentur.

11 Matri, spectato iure communi Cæsareo naturales liberi vna cum legitimis tam ab intestato, quam ex testamento succedere solent excepto feudorum iure.

12 Etiam Nothi, seu vulgò concepti matri & parentibus maternis, nisi ea illustris sit, vna cum legitimis succedunt secundum commune ius Cæsareum: Ad patris verò successionem non admittuntur, cum eum vel omnino non, vel saltem honesta demonstrare non possunt.

13 Qui ex damnato coitu orti sunt ascendentibus suis, nec ab intestato, nec ex testamento succedere possunt, sed non ascendentes ad eiusmodi filiorum successionem admittuntur.

Alij verò præter ascendentes spurium heredem instituere possunt, Imò etiam auus, deficiente prole legitima nepotem legitimum aut naturalem ex spurio filio natum instituere potest, modo id non faciat intuitu fratris. Deinde si testator bona relinquat executori grauando eum, vt inter pauperes distribuatur, potest executor etiam dare filijs spurij testatoris, si pauperes sint.

14 Fratres illegitimi, etiam vulgò concepti (etiam secundum quosdam ex coitu punibili) siue vteri, siue ex eadem matre nati sint, eorundemque filij ac nepotes inter se consanguinitatis iure succedunt, sed fratres non vterini ab intestato inter se

non

non succedunt: Ratio, quod in illegitimè natis
censeatur esse ius cognationis ex parte matris, nõ
item agnationis, ex parte patris. Neque refert, etsi
filius à principe legitimatus sit, quia intelligitur
in ordine ad succedendum patri, non item alijs
consanguineis.

Potest tamen frater fratrem illegitimum etiam **15**
spurium hæredem testamento instituere.

Habent autem hæc omnia locum in foro con-
scientiæ, adeo vt si filius naturalis aut spurius ali-
quid ex hæreditate accipiat, cuius secundum leges
incapax est, restituere tenetur, quia non est lex
propriè pœnalis in criminis pœnam tantum lata,
sed est incapacitas dominij, seu iuris cuiuscunque
acquirendi ob iustam causam. Interim hæres legiti-
mus non prohibetur spurijs aliud sponte conce-
dere. Quia tum non iure hæreditatis, sed gratuitæ
donationis accipiunt.

Legitimatio siue natalium restitutio fieri solet **16**
per rescriptum Principis, vel alterius à Principe
potestatem habentis. Ea duplex est: Vna ad Ec-
clesiastica iura, ordines beneficia, quam solus
Papa, tanquam supremus in Ecclesia Princeps,
cuiuscunque voluerit illegitimo iure & officio.
Non solet summus Pontifex legitimare alterius
principis temporali iurisdictioni subiectos, nisi
sortem indirectè ac casualiter, si quando grauis
causa Reipubl. Christianæ ita exigat. Altera igi-
tur est legitimatio ad ciuilia iura, puta hæredita-
tum successiones, officia, ac dignitates, qualem
quilibet princeps in temporalibus aut Repub. li-
bera suis subditis etiam proprijs liberis, quin &
Cle-

Cle-

Clericorum filiis, etiam si ipsi quoque Clerici sint, arbitrato suo conferre potest.

- 17 Porro eiusmodi generali legitimatione civili consequitur filius illegitimus, ut instar legitimorum succedat in hæreditate parentum & consanguineorum aliorum, non item in paterna nobilitate, feudo, nisi speciatim expressum fuerit. *Quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus.* reg. si in 6. unde nec potestate alicui legitimandi data, censi debet concessum, ut ad feuda illegitimus legitimet.
- 18 Spuriorum non est propriè dicta legitimatio, sed potius dispensatio quædam.
- 19 Episcopi communi iure dispensare possunt cum illegitimè natis ad ordines minores tantum & simplicia beneficia.
- 20 Qui habet potestatem legitimandi, censetur etiam habere potestatem dispensandi cum illegitimo in ordine ad certum effectum, non tamen vice versa, qui enim potest, quod maius est, potest etiam quod minus est, si id in maiori contineatur. Deinde dispensatus ad ordines non eo ipso etiam ad beneficia dispensatus censetur, quia ad disparata non fit bona illatio, præsertim in materia strictæ interpretationis.
- 21 Religiosi natalium defectum laborantes, ipso iure dispensati esse censentur ad ordines sacros, non verò ad dignitates, prælaturas.
- 22 In dubio quisque censi debet legitimè natus, quia ut Arist. Non unum sed multiplex pariendi tempus homini à natura datum est. Nam & septimo mente, & octavo, & nono parere potest, quod

quod plurimum, decimo: Nonnullæ etiam me-
liorem vndecimum attingunt.

Si post nuptias contractas ex acto mense septi- 23
mo nondum aduentante sine mensis vndecimi,
proles nascatur pro legitima haberi potest.

C A P. VI.

De bono Sacramenti.

PER bonum Sacramenti intelligitur indissolubi-
lis nexus coniugij, vt neuter ab altero separari
deceat. Matrimonium tamen non est ita indif-
solubile, vt eius dissolutio naturali iuri propriè
repugnet. Nam quibus causis res constituitur
eisde etiam dissoluitur, c. omnis, 17. q. 2. Et. Deus
absoluta potentia in lege naturali dispensari non
potest: si enim lex naturalis est, sequitur ex natu-
ralibus, & per se notis principijs: quæ cum immu-
tabilia sint, stantibus rerum naturis, etiam quod
ex eis deducitur secundum se immutabile est, cõ-
stat. Atqui Deus olim dispensauit cum Iudæis,
vt ob rationabilem causam licitum esset repudiũ
coniugis, seu dissolutio matrimonij, quo ad vin-
culum: Adde quod hæc diuortij consuetudo po-
tuit etiam ad gentes deflexerit.

Matrimonium præsertim consummatum ex 2
prima Dei institutione indissolubilitatem habet
sacri mysterij causa, nimirũ propter futurã verbi
diuini incarnationem, quæ etiam Adamo pro-
phetico spiritu reuelata fuit, dicente *Hoc nam os ex
propheta meis Gen. 2.* Quem locum etiam Christus

kkkk

Matth.

Matth. 19. citat & interpretatur eo fine, vt matrimonium à prima sui institutione indissolubile, atque ita deinceps obseruandū ostenderet, ait itaq;: *Iam non sunt duo sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

Maiorem autem firmitatem habet matrimonium consummatum, quam ratum ad eum modū, quo maiorem firmitatem habet coniunctio Christi in Ecclesia secundum carnem assumptam, quam coniunctio Christi cum Ecclesia per charitatem, quippe quæ per mortale solui & afferri potest.

- 10 Matrimonium ratum & non consummatum per religionis professionem omnino soluitur, idque Ecclesie auctoritate, quam per traditionem accepimus. Si enim matrimonium iure naturali aut diuino per vota solemnia solueretur, id ipsum etiā fieret per vota simplicia: quandoquidem votorū solemnitas, & à simplicibus discriminatio solo Ecclesiastico iure introductus est. Atqui per vota simplicia non soluitur hodie matrimonium ratū. Ergo id non ad ius diuinum, quod immutabile & constans est, sed ad Ecclesie auctoritatem referri debet. Eapropter Iudici præcipitur, vt coniugi de religionis ingressu ante consummationem matrimonij deliberanti bimestre spacium definiat, intra quod vel propositum Religionis exæquatio vel debitum reddat. Et licet probabile sit, quod coniux etiam nolit ingredi religionem, per bimestre possit negare debitum tamen contrariū est probabilius. Nam extra casum, quo alter coniunx Religionem ingredi cogitat, canones nunquam

quam restringunt coniugi ius & potestatem exigendi carnalem copulam : Quod si vxor delibens de ingressu Religionis interea per vim oppressatur à marito matrimonium indissolubile quidem redditur quoad vinculum. Sed probabile est, nihilominus vxorem posse ingredi, & inter viduas profiteri, nisi exinde proli incommodum timeatur, *quia nemo sine culpa iure suo priuari debet.* Vxor autem eo bimestri spacio per saporis beneficium libera à debito reddendo habebat ius ingrediendi religionem; Ergo.

Authoritatem Papæ matrimonium ratum ob causam grauissimā solvi potest. Probatur ex praxi. Nam sæpè hoc factum est : & summus Pontifex ob gravem causam soluere potest vinculum professionis religiosæ, Ergo etiam matrimonium ratum. Probatur consequens ex illo vulgato. Si possum vincere vincentem te, possum etiam vincere te. Igitur si autoritate Ecclesiæ solui potest vinculum religiosæ professionis per quod soluitur matrimonium ratum, sequitur eadem Pontificis autoritate matrimonium ratum solui posse.

Neq; vero per hanc dissolutionem soluitur lex diuina, sed sicuti in voto ac iuramento proximè ac directè remittitur ius Deo acquisitum per commissionem Ecclesiæ eiusque summi Pastoris factam Matth. 16. Indirectè verò & consequenter aufertur lex diuina de voto obseruando : quippe quæ ex ipso desinit, quod vinculum legitima potestate ablatum est. Ita similiter lex diuina iubet vinculum matrimonij etiam nondum consummatum perpetuo consistere, præterquam si Ec-

clesiæ dissoluentis autoritas accedat: Ea autem accedente directè quidem soluitur vinculum matrimonij sed lex diuina tantum indirectè & per accidens amouetur, quando apponitur conditio per quam lex diuina obligare iam desinit. Neque sequitur, quod Pontificia autoritate essentia sacramenti mutetur sed fit, vt per auctoritatem Ecclesiæ dissoluto contractu, in quo ratio sacramenti fundata, vir & mulier desinant esse sacramentum symbolum.

6 Nuptiæ secundæ, tertiæ & quartæ tum veteri, tum noua lege concessæ sunt. Est de fide & patet ex Apost. 1. Cor. 7.

7 Coniugium vnus viri cum pluribus simul vxoribus non ita naturali iuri repugnat, vt nulla ratione V. C. Dei dispensatione cohonestari possit; Ratio, quia talis Polygamia ex proprio obiecto malitiam non habet, sed solum ex adiunctis incommodis, quæ in certis casibus abesse, vel alijs minoribus incommodis compensari possunt. Accedit quod intrinsecè mala & iuri naturali aduersantia sunt à Deo, concedi nunquã possunt. Constat autem Deum olim concessisse Patriarchis, vt plures simul vxores lecto accipere possent, idque ad multiplicandum genus Abrahæ.

NB. Concubinæ Patriarcharum dicebantur, non quod legitimæ vxores non essent, sed quia nõ cū legalibus instrumētis acceptæ erant in cõmunionem bonorum, vt familiæ gubernatrices eorumq; filij bonorum præternorum hæredes esse possent, sed solum in societatem thori sicut colligitur Gen. 25.

Polygamia seu matrimonium cum pluribus v-⁸
xoribus est contra primam eius à Deo factam
institutionem Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo pa-
trem suum & matrem & adheret uxori suae, & erunt
duo in carne vna*: si autem vir vnus duas vxores ha-
beat, non erunt duo in vna carne, sed potius diui-
sio in plures carnes, vide Matth. 19.

Polygamia plurium virorum ad vnam vxorem ⁹
maiores deformitates præse fert, quam vnus
viri ad plures vxores, & plura etiam incommoda
secum fert, quum non ita vt Deus absoluta sua po-
testate eam concedere non posset. Nā Deus per-
mittendo polygamiam non propriè in ea dispen-
sat, sed affert conditionem, per quam illicita esse
desinat ad eum modum sicuti si iubeat innocen-
tem occidi, vel rem alienam domino suo auferre.

Pœnæ ciuiles, quæ directè ac principaliter in ¹⁰
odium secundarum nuptiarum institutæ erant (V. C.
vt mulier intra annum luctui nubens fiat infamis,
vt posteriori marito non possit donare, aut testa-
mento relinquere vltra tertiam partem, vt nihil à
marito per donationem lucrari possit, & ferme et-
iam aliarum successionum incapax sit) canonico
iure sublata sunt quippe repugnantes libertati
matrimonij à Christo promissæ 1. Cor. 7. Rom. 7.
Quæ verò pœnæ directè ac principaliter in fauo-
rem liberorum prioris matrimonij decrete, in suo
vigore manent, Ratio, quia nō sunt propriè dictæ
pœnæ, sed potius promissiones ac fauores libero-
rum, nec simpliciter à secundis nuptijs retrahunt,
sed tantum sub conditione, si cōiunx bonis occa-
sione prioris matrimonij parentibus potiri velit.

Tales pœnæ, sed potius prouisiones sunt. Primò conjunx transeundo ad secundas nuptias amitti proprietatem bonorum prouenientium à coniuge defuncto, ut proinde, neq; ea alienare, neque vltima voluntate cuiquam relinquere possit, sed filijs prioris matrimonij ex æquo inter ipsos diuidenda relinquere cogatur. Secundò conjunx ad secundas nuptias transiens non potest suo coniugi donatione aut vltimæ voluntatis dispositione plus relinquere, quam vlli liberorum prioris matrimonij: Tertio mater transiens ad secundas nuptias priuatur tutela liberorum ex priore matrimonio susceptorum, quia suspicio est; malè administraturam esse propter affectum ad novum maritum & ex ipso suscipiendam prolem. Quartò si mater ad secundas nuptias transeat, meretur, ut educatione liberorum prioris matrimonij priuetur. Quintò si mulier hæres ab intestato extitit alieni liberorum ex priore matrimonio, nõ acquirat plenum dominium, sed solum vsumfructũ bonorum, quatenus ea ex paterna substantia proueniunt, quare ea alienare omnino prohibetur, sed alijs eiusdem matrimonij liberis reseruantur, si superstites sint: attamen ex testamento filij: imò etiam ab intestato, si alius filius aut filia non superstit, pleno iure succedere potest.

¶ Probabile est, quod constitutiones istæ locum non habeant in marito ad secundas nuptias transeunti (eo quod si Imperator etiam patrem in sua illa cõstitutione comprehendere voluisset, id expressisset) sed neq; in vxore secundò nubenti locũ habere videatur ante iudicis sententiã: Ratio est, quia

quia tamen si quatenus ad liberorum promissionē spectant, fauorabiles sint tamen comparatione i-
 plius transeuntis ad secundas nuptias exosæ sunt,
 & quodammodo pœnales, seu ad similitudinem
 pœnalem, iuxta illud: *Et ex communis viri & mulieris
 mulctæ sit posita, ad mulctam autem nemo obligatur ante
 iudicis sententiam.* Deinde leges illæ quamuis fauo-
 rem liberorum continēt, semper tamen nituntur
 odio secundarum nuptiarum, quasi illæ minus ho-
 nestæ sint, & iunctæ cum aliqua iniuria erga prio-
 rem maritum, impietatem erga liberos; quam ob-
 rem etiam pœnæ ac mulctæ appellantur. NB. NB.
 NB. Hinc resolves, si vir susceptis ex priorē matri-
 monio liberis, defuncta vxore diuite, aliam pau-
 perem duxit, licet iure civili prohibeatur illi plus,
 quam vni liberorum suorum relinquere: attamen
 coram Deo nihil peccaturum, si supra id, quod le-
 ge concessum est, moderatum quidquam mulieri
 clanculum donet, quo post mortem suam se ho-
 nestè alat. Cum n. id extraneo cuiuis donare aut
 legare possit absq; peccato, cur non etiam vxori
 indigenti, & de se ac liberis suis benè merita: Et
 licet filij beneficio legis ciuilibus dictam donationē
 excedentem rescindere possint, priusquam tamē
 rescindatur puto, eam consistere, vt naturalē affe-
 ctum pariat transferendi dominij rei donatæ in
 vxorem secundum iustam donatoris defuncti vo-
 luntatem.

C A P. VII.

De Divortio.

Divortium (non acceptum quod separatione
 coniugum dissoluto eorū matrimonio quo-

Kkkk 4 ad

ad vinculum fit. ff. & C. de divortijs, sed acceptum pro separatione coniugum, solùm quoad thorum & habitationem) mutuo interdum consensu fieri potest, causa pietatis, vel alia honesta V. C. ne proles supra facultatē multiplicetur, dummodo absit periculum incontinentiæ, sicut colligitur ex Apost. 1. Cor. 7, Et SS. Patres exempla memorant coniugū fidelium mutuo consensu continentiam vouentiū, quamuis propter periculū incontinentiæ consultū nō est conjugib. continentiam vouere, nisi præmissa matura deliberatione, & lōga experientia, quod faciliē cōtinentes ambo esse possint.

2 Coniunx Religionem ingredi potest cum cōsensu alterius conjugis simul ingredientis, vel in seculo edito voto continentię permanentis, modo tunc eius ætatis sit, vt extra probabile periculum incontinentiæ versetur, idemque dicendum, si maritus S. ordinem suscepturus sit colliguntur ita ex Matth 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem &c. centuplum accipiet.*

3 Ad Episcopum pertinet dispicere, vtrum vxor, in hoc casu extra incontinentię periculum existat, quare conuenit ab eo ad maiorem securitatem licentiam petere, quamuis etiam sine petita licentia professio valitura sit.

4 Si coniunx absque coniugis consensu religionem profiteatur, professio nulla est, quare reuocari, imò sponte egredi potest, tamē post mortem cōiugis ad alias nuptias transire prohibetur: Ratio: quia præsumptio est, q̄ vouens se voluerit obligare eo modo, quo potest secūndū illud: *Si nō valet*

quod

quod ego volo ut valeat sicut valere potest: At maritus invita vxore se obligare potest ad non petendum debitum, & ad continentiam seruandam post mortem eius; Quare autem hæc in religiosa professione tanquam pars in toto comprehenduntur, ideo præsumptio iuris est quod saltem hæc duo promittere voluerit maritus si professio eius non valeret. Quæ tum præsumptio in conscientia fore veritati cedere debet, si animus vouendi continentiam non erat, nisi dependenter à professionis valore.

Si coniugatus cum consensu alterius coniugis nec religionem ingredientis, nec in seculo votum continentia edentis, profiteatur, officio ordinarij reuocari potest ad vxori debitum reddendum, ea autem mortua ad Monasterium redire cogitur, quia professio valida fuerat.

Si coniunx licentiam impediendi religionem coniugi liberè concessit, censetur se obligasse ad perpetuam continentiam, imò & ad religionis ingressam, si iuuenis aut de incontinentia suspectus sit. Necessè tamen est, quod fuerit conscius iuris, ita disponentis quod de vxore in dubio non præsumitur, quippe ignarâ iuris.

Si vnus coniugum adulterium commisit, alter eo ipso acquirit ius instituendi diuortium, quoad chorum & habitationem, remanente tamen substantiali vinculo; frustra enim sibi quis fidem postulat seruari ab eo, cui fidem à se præstitam seruare recusat. Quæ causa est, cur Christus Matth. 5. & 19. hanc solam diuortij causam præcepit. Dico autem vobis quia quicumque dimiserit vxorem
Kkkk 7 suam

suam, nisi ob fornicationem mœchatur. Ratio est, quia solum adulterium coniugis repugnat contractui matrimoniali per se, alterumque coniugem in perpetuum liberat à fide coniugali, alia verò crimina ob quæ (infra dicam) coniugem repelli posse per accidens se habent ad matrimonij substantialem obligationem, quare ijs cessantibus recipi debet coniunx.

Intelligitur autem hic per diuortium solum quoad habitationem & thorum, non verò quoad vinculum, vt colligitur ex verbis Christi Marc. 10. Luc. 16. Et Apost. 1. Cor. 7. Nomine fornicationis intelligitur omnis concubitus cum supposito, etiam Sodomia, bestialitas. Quia iustum diuortium oritur ex eo, quod coniunx carnem suam in alteram diuisit contra naturam pacti matrimonialis; Talis autem diuisio fit per Sodomiam, non item per feminis solum effusionem aut tactus impudicos, aut per peccatum mollitiei.

- 8 Maritus & vxor iure diuortij propter adulterium instituendi æquales sunt. Ratio, quia ius diuortij oritur ex violatione fidei coniugalis, ad quã coniuges æquali iure obligantur.
- 9 Separatio coniugum, quoad thorum propria autoritate fieri potest quia ius naturale ac diuinum ob causam adulterij diuortium fieri permittit; separatio tamen quoad habitationem propter adulterium Ecclesiæ sententiam requirit, ne talis separatio in publicam notitiam venire soleat. Excipe, si etiam crimen adulterij publicè notum sit, vel maritus alio prætextu se separare possit V. C. peregrinationis longinquæ sed sine redeundi proposito, ita vt scandalum euitetur.

Si

Si coniunx in causa non notoria à coniuge sine iudicio Ecclesiæ repulsus sit, ante omnia eum iudex, cuius officium imploratur, in pristinum statum restituere debet, & postea causam diuortij cognoscere, compulso altero ad probationes proferendas. Secus est, si causa diuortij puta adulterium notorium sit, seu per euidenciam facti, seu per confessionem. Nam hoc casu repulsa vxor non restituitur. Ratio, quia petenti restitutionem obstat exceptio de notorio defectu iuris seu proprietatis.

Si coniunx repulsus fuerit prætextu impedimenti dirimentis V.C. ob consanguinitatem, petita restitutione, si probationes in continenti afferantur, restituendus est quoad omnia alia, excepto thoro idque propter periculum fornicationis, si fortè impedimentum subsit.

NB. Maritus sciens coniugis suæ adulterium licet suffiçienter probare nequeat per se loquendo debitum reddere non tenetur, etiam si illi à Iudice sub excommunicatione mandet. Nam præceptum Ecclesiæ in falsa præsumptione fundatum non obligat in conscientia, quia præsumptio cedit veritati: Tamen ne iudicium Ecclesiæ contemnere videatur, condemnetque, obedire debet, quatenus scandali vitandi necessitas postulat.

Coniunx innocens post coniugis perspectum adulterium religionem profiteri vel sacrum ordinem accipere non prohibetur. Nocens tamen hoc non potest facere, si innocens statum non mutauit; Quandoquidem sententia diuortij nihil commodi

modi innocenti afferri debet, quominus coniugem alterum reuocare, ipsique reconciliari possit, si ita ipsi lubitum sit. (Secus si innocens ingressus sit religionem) Quod si tamen coniunx adulter semel aut iterum monuerit alterum coniugem, ut post suam emendationem recipiatur, non exauditus religionem ingredi, vel sacros ordines accipere potest.

83 Certi casus sunt, in quibus coniugi diuortium non permittitur propter coniugis adulterium, videlicet primò si coniunx vim passa, quia formaliter non est diuortium; secus est, si graui metu compulsa consensit. Nam mortem potius oppetere debet ex fidei coniugalis natura quàm in stuprum consentire. Secundò, si per ignorantiam ad non suam accessit, aut si vxor maritum probabiliter defunctum putauit, & ad alias nuptias transiit, aut in hoc casu cum aliquo fornicetur, quia vacat culpâ adulterij formalis, quod solum causa iusta diuortij est. Terriò si alter coniunx etiam criminis particeps fuit, vel etiam ipse fornicatus, quia in hoc casu paria delicta pari veluti compensatione tolluntur.

Monet tamen Molina Maritum adulterum nihilominus posse criminaliter accusare vxorem de adulterio ad vindictam publicam, quia in ordine ad accusationem criminalem delicta paria non compensantur, præsertim cum leges permittant marito vxorem de adulterio criminaliter accusare, sed non vice versa vxori maritum suum. l. r. c. ad L. Iuliam de adulterijs.

84 Si post vnus, vel vtriusque adulterium coniuges

ges reconciliati sint, censetur ius matrimonij restitutum perinde ac si crimen nullum antecessisset. Quare si alteruter coniunx postea fornicatur, alter acquirit ius diuortij.

NB. Si post sententiam diuortij Iudicis auctoritate factum, etiam alter coniunx adulterium committat, non obligatur ad recipiendum coniugem nisi iudex ex officio compellat ad occurrendum probabili periculo incontinentiæ. Illud tamen fatendum est, quod coniunx accusatus ciuilitate de adulterio ad diuortium instituendum possit etiam post litem contestatam opponere exceptionem de lapsu alterius coniugis. Imò coniunx, qui similiter fornicatus est, non potest bona conscientia diuortium instituere. Esto crimen eius occultum & alterius notorium sit, modo etiam actu se emendare peccata existat.

NB. Innocens præsumitur condonare nocenti si familiariter eam tractet cum illo commisceatur, si tamen re ipsa absit voluntas condonandi, nihilominus in conscientia foro diuortium instituere poterit, licet in externo foro non audiatur propter iuris amissi præsumptionem.

Coniunx à coniuge adultero separare se potest, 15 sed non debet ex necessitate præcepti per se & ordinariè loquendo (quia vt S. Aug. permisit Dominus, non iussit) nisi id necessarium sit, ad procurandam emendationem coniugis, vel ad scandalum vitandum, ne maritus crimini vxoris sæpè relabentis indulgere videatur.

Coniunx innocens post institutum diuortium 16 coniugem emendatum reuocare suo iure potest:
Ratio,

Ratio, quia per iudicis sententiam innocens suo iure priuari non debet, cum alioquin exceptio rei iudicatae proficeret reo, contra quem lata fuit, quod iniquissimum esse ait Iulianus l. euidenter ff. de except. rei iudicatae. Sed tamen innocens non obligatur reuocare emendatum, quandoquidem frangendo semel matrimonij fidem priuatus est iure exigendi debitum coniugij. Ex charitatis tamen lege si coniunx in periculo incontinentiae versetur, recipiendus est.

- 17 Aliæ causæ diuortij instituendi sunt idque per accidens, utpote non prouenientes ex violata fide matrimonij, ut proinde talibus causis cessantibus coniunx recipi debeat. Prima, lapsus in hæresin conuenienter. Apost. ad Tit. 3. *Hereticum hominem post unam & secundam correptionem devota*. Requiritur tamen pertinacia: Emendatum verò condemnatum tunc recipere non tenetur, quia Ecclesia in pœnam hæresis priuare potest alijs iuribus dominij. Ergò etiam iure illo, quod habet in corpus coniugis. Secunda graue periculum animæ, sicut licet ob periculum infectionis corporalis V. C. lepræ recedere, cur non ob periculum animæ V. C. si maritus sit magus, si sollicitet ad peccatum innocentem, conseruatur illud Christi Matth. 5. Si oculus tuus scandalizat te &c. Tertia, graue periculum corporis, huc pertinent insidiæ, quas coniunx alterius vitæ machinatur, vel alia magna coniugis sæuitia, seu ex ira, seu ex ebrietate &c. proueniens ut sine probabili periculo grauis damni ipsi cohabitare non possit. Dico graue malum oportere esse in futurum impendens, & inuitabile, cut-

iis

itus videlicet metus ac trepidatio iusta sit, & merito hominem prudentem considerata personae qualitate moueat. Eiusmodi malum non tantum est mortis aut mutilationis membrorum, sed etiam atrocium verberum. Præterea graues & frequentes discordiæ, quibus cohabitatio coniugi innocenti molesta redditur, sufficientem causam præbeat diuortio, cum graue malum reputetur perpetuò offensum habere eum, quo cum semper vivere cogaris, & ex quo res tuæ pendent. Dixi etiam malum in futurum impendens: Non enim sufficit ad diuortium semel aut iterum uxorem V. C. à marito præter consuetudinem ira ingenti commoto acriter nimis verberatum esse, nisi probabilis timor sit eiusmodi malum sepius in posterum timendum esse. Dixi tertio inuitabile, quia si cautio sufficiens dari possit de malo in posterum non inferendo, non erit locus diuortij. Sufficiens autem cautio censeretur, per quam boni viri arbitrio factis consultum est incolumitati alterius qualis cautio plerumque est fideiussoria, aut pignoratitia, interdum verò optima est iuratoria, si vir probus iuramenti religionem quam maximè reuereri existimetur. Cæterum hæc omnia discutienda relinquuntur arbitrio iudicis.

NB. Si coniunx in amentiam incidat & alteri periculum vite non timeatur, licet molestum sit ei cohabitare, tamen molestia hæc toleranda est.

Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem mariti participem esse. I. cum dolens & si maritus ff. soluto matrimonio.

Si

18 Si causa diuortij propter graue periculum corporis aut animæ notoria sit propria auctoritate separatio fieri potest per se loquendo; Interim tutius est, imò ratione scandali vitandi plerunquè necessarium, vt iudicis Ecclesiastici officium impleretur nisi periculum in mora sit.

19 Facto diuortio inter coniuges liberi ordinariè manere debent penes innocentem, expensis patris, si is causam diuortio dedit. Sin cōtra apud patrem expensis matris locupletis, saltem post iudicis sententiam.

Limita hoc primò, si innocens infidelis sit, tunc in fauorem fidei tradenda est alteri coniugi fidei proles. Secundò licet vir diuortio causam præbuerit, si tamen mulier ad secundas nuptias transeat, proles educandi ipsi nō relinquitur. Tertis si mater, quæ causam diuortio dedit, locuples sit, pater autè minus idoneus proles relinquitur apud matrem similiter haud dubiè dicendum si pater, qui causam diuortio dedit, locuples sit, mater autem pauper, proles patri relinquenda est.

PARS QUARTA.

De impedimentis matrimonij tum dirimentibus tum impediētib; tantum.

C A P. I.

De impedimentis matrimonij in genere.

1 Impedimenta matrimonij alia sunt impedimentis tantum, illicitum scilicet reddentia, sed tamē

non validum relinquentia; Alia verò dirimentia non eo sensu sic dicta, quasi matrimonium ratum dirimant sed impediunt ratum, & validum dat.

Spectata rei natura, & seclusis Ecclesiasticis, constitutionibus, omnis magistratus secularis, qui absolutam potestatem habet ferendi leges ad subditos suos, potest eisdem impedimenta matrimonii tum dirimentia, tum impediencia tantum ob iustam causam decernere, quia matrimonium humanus contractus est in naturæ officium & ad propagationem communitatis institutus; Quare proinde ut alij contractus subiacent dispositioni magistratus, quatenus necessarium iudicatur ad bonum Reipublicæ ut personæ aliquæ inter se contrahere prohibeantur. Neque obstat quod matrimonium sit sacramentum, quia ratio sacramenti superueniens non mutat, sed potius ut materia supponit humanum contractum, quo immutato per humanam potestatem.

Consequenter etiam desinit esse materia sacramenti. Simile quoddam cernere est in alijs sacramentis: Etsi enim homines materiam eorum à Christo institutum mutare non possint directè, possunt tamen destruendo vinum V. C. per aquæ infusionem, ut desinat esse materia sacramenti. Nilominus tamen his non obstantibus Ecclesiæ potestatem statuendi impedimenta matrimonij Principibus Christianis respectu fidelium interdixit, sibi que propriam reservauit; sicut & alias causas matrimoniales, quia ita decuit, potestatem contractus matrimonij ad sacramenti dignitatem eleuatus est. Sed hæc non impediunt Principes Ethnicos, quin leges ferre possint pro

marrimonij subditorum suorum , & impedimenta statuendi , cum apud eos sacramentum non sit.

3 Fideles subiecti Principibus Ethnicis non videntur adstringi impedimentis matrimonij secundum leges illorum ciuiles , idque ideo , quod non excedat potestatem indirectam Ecclesiae , omnes vbique terrarum degentes Christianos eximere legibus ciuilibus & subijcere Ecclesiasticis , quod attinet ad matrimonij validitatem aut invaliditatem , quippe cum plurimum propter sacramenti dignitatem intersit in hac re vniformitatem inter omnes Christianos existere.

4 Impedimenta matrimonij non nisi vniuersalibus Ecclesiae legibus decerni possunt , non item particularibus statutis Episcoporum : Ratio quia causae , quibus valor matrimonij vertitur semper grauissimè iudicatae sunt , vt proinde vniuersali pontificio iure definiri debeant.

5 Matrimonium cum impedimento dirimente scienter contrahere , est mortale , quia est violatio legis iustae in re magni momenti , etiam sacrilegium , eò quod taliter contrahentes ad velandum scelestum suum contractum , abutuntur ritibus , ac nomine sacramenti , non sine eius iniuria ac irreuerentia . Excipe tamen , nisi grauis metus cogat ita celebrare . Talis enim non peccat cum reuera non habeat animum verè contrahenti . Secus se absolutè & efficaciter non posse , sed tantum promittendi , quatenus ex sua parte potest : cuiusmodi promissio in tali necessitate non potest esse illicita .

cira, dummodo absit animus ira inualidum contractum matrimonium consummandi.

Copula habita cum persona, qua cum matrimonio ob Ecclesiasticam constitutionem consistere nequit, tunc accipit specialem malitiam necessario in confessione explicandam, si impedimentum constitutum fuit precipue propter copulam, quasi illa indecentiam habeat in ordine ad virtutem, puta religionis, ut videre est in religionis voto, cultus disponitur aut contra virtutem pietatis ac reuerentiae erga sanguine iunctos, ut in impedimento consanguinitatis, affinitatis: Secus verò res habet, si impedimentum positum fuit non propter indecentiam copulae, sed ob aliam causam puta criminis punitionem, vel matrimonij libertatem tuendam, ut videre est in impedimento criminis raptus. Quare si quis hoc casu cum muliere, tanquam cum coniuge coniungatur, simplicem fornicationem committit, nisi id faciat in contemptum Ecclesiae.

CAP. II.

De impedimento Erroris.

Error personae contractum matrimonij naturali iure irritum reddit. Ratio, quia error circa substantiam siue obiectum substantiale vitiat omnem contractum, Persona autem determinatè cognita contrahenti solet esse substantiale obiectum contractus matrimonialis. Ergo error circa personam vitiat contractum matrimonij. In

LIII 2 sacra-

sacramentis verò aliis, V. C. baptismatis error circa personam, putando esse Petrum, cum sit Iohannes &c. sacramentum non vitiat, quia virtualis ministrantis intentio esse debet baptizandi, confirmandi hominem præsentem, ac capacem quicumque ille sit. Quod si tamen errans actualiter intendat contra hæc cum muliere proposita, quæcunque illa sit, valet matrimonium; sicuti & valida est emptio, si falsò existimans esse bucephalum, velit tamen emere hunc equum, quicumque sit; Nam eiusmodi error speculatiuus tantum censetur, non practicus, quippe haud vitians obiectum substantiale actus voluntarij.

- 2 Error circa qualitatem, & si ex dolo alterius contrahentis proueniat, & det causam contrahendi, matrimonium non infirmat, V. C. si quis contrahat cum Caia simulante se sanam, virginem, cum sit leprosa, corrupta &c. Quia talis error non tollit voluntarium simpliciter, nec vetus Canon extat, quo infirmetur tale matrimonium, quippe substantialiter consistens. Limita hanc assertionem. Primò nisi contrahens actualem voluntatem habeat non accipiendi mulierem hanc in uxorem, nisi sana, virgo sit. Secundò nisi error qualitatis etiam in errorem substantiæ, siue personæ redundet, si videlicet aliquis existimet, se cum alia persona contrahere, non ea, quam exterius accipit; Ideoque neq; consentiat cum hac contrahere, quia non cognoscentis aut errantis non est consensus. Id verò tunc evenire solet, si per qualitatem vnam vel plures, certa persona describatur, animoque designetur, quæ visu alioquin
igno-

ignota est, vt si consentiens animo ad accipien-
dam eam, quæ est inter filias Sempronij primoge-
nita, offeratur autem postea Caia, quæ primoge-
nitam se mentitur: Non valet matrimonium, ta-
met si ponamus primogenitam ante mortuam ef-
se. Secus est, si Caia hæc visu prius nota, & ad
matrimonium determinata fuisset, tametsi postea
simulet se primogenitam, cum non sit; Valebit
tamen matrimonium nisi actualis inrentio fuisset
saltem animo retenta, non accipiendi eam nisi
primogenita sit.

Quod verò matrimonium Ecclesiastico iure
irritum sit, quod graui metu iniusto celebratum,
non verò quod ob dolum: Ratio est, quia utrum-
uis iniusta, grauis interuenerit plerumque coram
Ecclesia demum stare potest; At verò dolum ferme
occultus est, Quare ne multa matrimonia dubi-
um valorem haberent, expediebat ea non in fir-
mari, quando spectato naturali iure subsistendi
vim obtinent.

Error circa qualitatem conditionis seruilis, si
alter contrahentium ingenuus est, vel liber, ma-
trimonium irritum reddit, quia conuenit, vt ma-
trimonium contrahentes æqualem corporum suo-
rum potestatem inter se conferant ad generatio-
nis finem &c. Liber autem homo plenam sui cor-
poris potestatem habens, dat alteri, obligans se
ad indiuiduam vitæ societatem, mancipium au-
tem hoc non potest facere, quando quidem in po-
testate domini sui constitutus vendi, & in terras
longinquas ablegari potest; Si tamen liber sciet,

alterius quocum contrahit seruilem conditionem iam sponte remittat, valebit matrimonium.

4 Mancipium à Domino prohiberi non potest, quominus matrimonium contrahat: quamuis debita seruitia nihilominus exigi possint, etiam ablegando ab vxore, quia iure suo utitur; peccabit tamen dominus contra charitatem, si coniugis probabili periculo in continentiam exponat; Quare Iudicis Ecclesiastici officio interdici illi poterit, ne seruum coniugatum ita impediatur dominus, ne nunquam, aut vix unquam vxori cohabitare possit.

5 Coloni, Originarij, ascriptitij, quales in Germania etiam (qui ita dominis terræ obligati sunt, vt recedere illis non liceat, nisi remissione gratis facta, aut precio remissionis persoluto) propriè non sunt serui, sed potius liberi homines. Quare quæ in hoc capite de seruis dicta, ad eos non pertinent.

C A P. III.

De impedimento Voti.

2 Votum solemnis professionis in religione approbata, nõ tamen soluit matrimoniũ ratum, sed etiam dirimit contrahendum. Ratio quia placuit Ecclesiæ eos, qui vitæ perfectioris statu suscepto, stabili se obligatione D E O & Ecclesiæ cõsecrant, inhabiles efficere ad statum matrimonij religiosæ eiusmodi obligationi valdè repugnãtem.

Vota

Vota simplicia in foci: Iesu, matrimonium²
 contrahendum dirimunt, sed antea contractum
 & ratum non dissolunt.

Votum solemne, quod sacro ordini annexum³
 est, matrimonium ratum non soluit, dirimit ta-
 men ac impedit contrahendum. Ratio verò, cur
 Ecclesia velit per professionem religionis matri-
 monium ratum dirimi, non item per susceptio-
 nem ordinis, quia per professionem censetur fieri
 perfectissima traditio sui ipsius & reciproca ob-
 ligatio quædam cum religione, ideoque mors quæ-
 dam spiritualis, ac veluti alterum spirituale matri-
 monium, cui meritò prius, secundum carnem ini-
 tium cedere debeat, cuiusmodi perfecta traditio
 in susceptione S. Ordinis non reperitur.

NB. Quod ex communicati ipso facto incur-
 rant religiosi utriusque sexus, & clerici in sacris,
 qui matrimonium contrahere præsumunt, & qui-
 cunque cum monialibus contrahere non verentur.

Clericus in sacris de facto matrimonium con-
 trahere præsumens, est suspensus ab ordine, quã-
 tis Episcopus post potentiam possit cum ipso dis-
 pensare, si bigamus factus non est.

Votum simplex continentie in seculo est im-
 pedimentum impediens tantum, non dirimens.
 Ratio, quia per tale votum homo in facie Ecclesie
 non censetur mutare statum, cum nullam promif-
 sionem acceptante Ecclesia edat. Vnicus tamen
 casus excipitur, si vxor edito continentie voto li-
 centiam marito dederat S. Ordinis suscipiendi,
 L. III 4 eode-

eo defuncto, ne validè quidem ad secundas nuptias transire potest.

- 6 Qui cum voto simplicis continentie, matrimonium contraxit ante impetratam dispensationem conjugij debitum petere prohibetur: Non ita verò, qui post votum Religionem ingrediendi ac profitendi matrimonium contraxit, ac consummavit. Talis enim neque petere neque reddere prohibetur, cum nondum habeat votum castitatis, sed votum de vouenda castitate solemniter, à cuius voti expletione impeditus est, donec matrimonium solvatur.

C A P. I V.

De impedimento consanguinitatis.

- 1 **C**ONSanguinitas est vinculum personarum, quæ ab eodem, eoque propinquo stipite seu progenitore per carnalem generationem descendunt. Explicatur. Omnes gentes agnoscunt vinculum aliquod ac veluti naturalem animorū iunctam cum similitudine corporum inter eas personas intercedere, quæ ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo oriuntur: Vnde & propinquitas sanguinis dicta est. Qui verò à communi stipite remoto descendunt, consanguinei vocari non solent, alioquin omnes homines consanguinei erunt, quippe ab eodem parente Noë & Adamo descendentes. Ratio huius rei est, quia virtus generativa propensa quidem est ad generandum simile sui, verum quo magis à communi stipite

stipite seu generante per succedentes generatio-
nes quibusdam quasi gradibus progressio fit eò
magis similitudo seu proportio sanguinis minui-
tur.

Cognatio & agnatio differunt, sicut genus & ²
species. Nam cognati siue quod idem est, con-
sanguinei, non omnes cognati dicuntur, sed ij tã-
tùm, qui per virilis sexus cognitionem iuncti sunt,
& idcirco idem nomen, eandemque familiam se-
quuntur: siue mares sint, siue fœminæ videlicet
Titius & filij eius, filiaque & germani fratres eius,
fratrumque filij ac filia agnati dicuntur.

Linea consanguinitatis (ordinata coniunctio ³
personarum consanguinitatem inter se habentiũ)
triplex est. Descendentium, quæ est secundum
habitudinem principij ad eos, qui inde deriuantur;
Secundò, Ascendentium, secundum habitu-
dinem eorum, qui deriuantur ad principium su-
um, liberorum ad parentem. Tertiò Linea trans-
versa, quæ est habitudo eorum, quorum neuter
ab altero, sed uterq; aut omnes ab eodem princi-
pio descendunt.

Gradus consanguinitatis definitur. Distantia
unius personæ ab altera in eadem linea, siue scala
consanguinitatis. Finguntur etiam gradus hi ad
similitudinem scalarum, quas ita ingredimur, ut à
gradu in gradum proximum, qui ex illo quasi nas-
citur transeamus.

NB. Pro linea ascendente & descēdēte traditur
hæc regula utroq; iure recepta. *Tot sunt grad. in Linea
descendente vel ascendente, quot persona, vnâ dēptâ.* Qua-
re pater & filius primo gradu iuncti sunt; Auus &
L III 5 nepos

nepos secundo : Proauus & pronepos tertio ;
Abauus & abnepos quarto, & sic deinceps.

4 Transversa linea duplex est ; vna æqualis, quæ est
inter personas à communi stipite æqualiter distā-
tes : Videlicet intra fratres & sorores, inter pa-
truales & consobrinos, & horum filios & nepo-
tes, pro hac secundum iuris canonici constitutio-
nem hæc regula recepta est. *In linea transuersa æ-
quali quot gradibus persona singula à communi stipite di-
stant, totidem inter se distant.* Quare cum fratres &
sorores vno tantum gradu à suo patre vel matre
distant, in linea recta sequitur, uno etiam gradu
inter se distare : Patruales autem & Consobrini
sunt in secundo gradu lineæ transuersæ: quia in li-
nea recta duobus gradibus à communi eorum sti-
pitem, auo, & auia distant. Deinde filij & filia pa-
truelium & consobrinorum tertio gradu iuncti
sunt, quia in linea recta tribus gradibus à proauo
vel proauia communi ipsorum stipite distant. Ne-
potes autem patruelium & consobrinorum quar-
to gradu iuncti sunt, quia in linea recta à commu-
ni stipite, suo abauo vel abauia quatuor gradibus
remoti sunt. Alia est linea transuersa inæqualis
inter personas inæqualiter distantes à communi
stipite: videlicet inter patruum vel amitam, & fra-
tris filios, inter magnum patruum, vel magnam
amitam, & fratris eorum nepotes, qui omnes in-
ter se agnati sunt. Et similis ratio est de reliquis
cognatis, videlicet avunculo & matertera, magno
auunculo, & magna matertera, &c. cum sororū
filiis, nepotibus, & pronepotibus. Pro hac linea
secundum ius Canonicum hæc regula recepta est:

In li-

In Linea transuersa inequali, quot gradibus, quæ remotior est persona, à communi stipite distat, totidem gradibus persona ipsa inter se distat. Quare patruus vel amita in secundo cognationis gradu est cum liberis fratris sui, & auunculo, & matertera in secundo gradu cognationis est cum liberis sororis suæ, quia nepotes si duobus gradibus in linea recta distant ab auo suo, cuius filius fuit eorum patruus, aut filia amita vel abauia sua, cuius filius fuit auunculus, & filia matertera. Similis ratio est cum magno patruo, magna amita, magno auunculo, magna matertera, qui tertio gradu coniuncti nepotibus sui fratris & sororis &c.

Consanguinitas hodie intra quartum gradum 5, lineæ transuersæ tam æqualis, quàm inæqualis matrimonium contrahendum impedit ac dirimit:

Iure autem antiquo ad septimum usq; gradum impedimentum hoc extendebatur.

SCHE-

SCHEMA CONSANGVINI-

TATIS.

	Abavus.	
	Abavia.	
	IV.	
Magnus pro-	Proavus.	Magnus.
patruus.	Proavia.	proavunculus.
Magna propa-	III.	Magnaproma-
trua.	Avus.	tertera.
IV.	Avia.	IV.
Magnus pa-	II.	Magnus
truuus.	Pater.	Avūculus Ma-
Magna amira,	Mater.	gna Matertera.
III.	I.	III.
Patruus		Avunculus.
Amita.		Matertera.
II.		II.
Frater		Soror.
I.		I.
Filii & Fi-		Filii &
liae : fratris.		Filiae Sororis.
II.		II.
Nepotes	Filius.	Nepotes.
& Neptes ex	Filia.	& Neptes.
fratre.	I.	ex Sorore
III.	Nepos.	III.
Proneptes	Neptis.	Proneptes
& Proneptes	II.	& proneptes
ex fratre.	Pronepos	ex Sorore.
IV.	proneptis.	IV.
	III.	
	Abnepos	
	Abneptis.	
	IV.	



Con-

Confanguinitatis Schema hoc extensum tantum est ad gradus quatuor, videlicet inter quos secundum ius canonicum est impedimentum dirimens; adeò, vt hypothecus ille seu mas sit, seu fœmina, cum nulla harum personarum nuptias contrahere possit, prohibente confanguinitatis iure.

Ad intelligendum schema antecedens.

NB. Primò Gradus confanguinitatis personarum omnium in hoc schemate positarum, intelligendi sunt, cum ordine ad hypothecum: Ita ut V.C. hypotheci proauus sit ipsi coniunctus in tertio gradu; patruus hypotheci sit ipsi coniunctus in secundo gradu; abnepos hypotheci sit eidem coniunctus in quarto gradu. Potest quidem etiam abnepos in schemate positus comparari cum abauo, sed respectu hypotheci; vt dicatur, quod abnepos hypotheci cum abauo hypotheci coniunctus sit octo gradibus, quia in linea recta 9. personæ positæ reperiuntur: quare vnâ demptâ, manet personæ octo: totidem igitur gradus sunt, iuxta primam regulam hoc capite traditam.

NB. Secundò. Pro linea recta quatuor tantum gradus cum ascendentium, tum descendentium positi sunt: vt videlicet esset norma seu regula lineæ transuersæ, cuius 4. tantum gradus secundum ius canonicum matrimonio impedimentum præstant. Alioquin autem vera est sententia, Iure consultorum: *Quod nuptia consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumue sunt, siue proximi, siue vltioris gradus sint, usque in infinitum.*

Sed

Sed ideò in linea recta gradus vltiores assignare intermissimus, quia moraliter vix accidet casus, vt ascendens vnã ex descendibus vltra 4. gradus in matrimonium accipere possit, & si accideret, repellendus utiq; foret.

C A P. V.

De Impedimento affinitatis.

- 1 **A**ffinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proueniens. Ea duplex; Vna, quæ ex legitimo thoro originem trahit, altera quæ ex illegitimo, puta, fornicatione, adulterio, stupro. Neque interest, vtrum carnalis copula fiat cum volente, an ignorante, ebria, coacta: dummodo per emissionem seminis in naturale vas mulieris: Cum enim vir & mulier per huiusmodi coniunctionem efficiantur veluti vna caro; idque non tantum in legitimo coniugio, sed etiam in fornicatione. 1. Corinth. 6. Hinc sequitur *quasi* Titius & Caia carnaliter coniungantur, omnes consanguinei Titij, secundum eundem gradum, quo consanguinei ipsius sunt, fiant etiam affines Caiæ, & omnes consanguinei Caiæ, fiant affines Titij.
- 2 Affinitas, quæ ex legitimo thoro est, intra 4. gradum matrimonium impedit, ac dirimit. Sensus est. Quod Titius matrimonium nec valide, nec licite contrahat cum Caiæ defunctæ vxoris suæ consanguineis intra 4. gradum, neque Caia cum ^{con}sanguineis defuncti mariti Titij, etiam intra 4. gra-

4. gradum. Affinitas ex illegitimo thoro impedit & dirimit duntaxat intra secundum gradum. Sensus est; Si Titius fornicatur cum Caia, inhabilis fit ad matrimonium, contrahendum cum Caia sorore, patruela, consobrina, matertera.

Affinitas orta ex incestu cum consanguinea coniugis intra secundum gradum impedit à debiti conjugalis petitione, non tamen à redditione: nec refert, vtrum incestus occultus sit an publicus.

Affinitas, quæ per accidens est inter personas, quarum neutra per copulam carnalem affinitati per se causam præbuit, nullum matrimonio impedimentum præstat, ac proinde talis affinitas etiam inter virgines consistere potest. V. C. Si Titius & Caia carnaliter copulentur, ratione huius copulæ, adeoque per accidens consanguineis Titij contrahit affinitatem, cum consanguineis ipsius Caiæ: quæ tamen affinitas matrimonium inter ipsos nec impedit, nec dirimit. Quamobrem nihil obstat, quo minus duo vnius familiæ fratres matrimonium contrahant cum duabus alterius familiæ sororibus. Et potest aliquis successiuè plures vxores accipere, quarum mariti fratres germani erant, V. C. Galla & Cæcilia nupsere duobus fratribus, poterit Sempronius Gallam viduam effectam ducere, eaque mortua viduam Cæciliam. Deinde pater sponsi ducere non prohibetur matrem, vel filiam sponsæ, similiter aliquis ducere potest matrem, vel filiam vitrici sui aut nouercæ suæ.

Præterea, si Caia habeat fratrem Sempronium, cui nupta est Placidia: Titius verò ducat Caiam, tunc

Tunc Titius contrahit affinitatem propriè ac per se cum Sempronio ; per accidens verò cum Placidia.

Denique erant duo fratres, Iulius & Augustus; ille duxit Caiam, hic Semproniam : mortuo Iulio, Titius duxit Caiam viduam ; hac verò mortua, mortuo item Augusto, non prohibetur Titius secundas nuptias celebrare cum relicta Semproniam ; quia Titius & Semproniam per accidens tantum affines sunt, ratione defunctorum priorum coniugum Augusti & Caiæ, qui per se ac propriè affines erant : siquidem Augustus erat frater Iulij, cuius coniux erat Caia. NB. NB. NB. Plures eiusmodi casus affinitatis per accidens occurrere possunt, pro quibus cognoscendis nota hanc regulam : Si neque vir carnaliter cognouit consanguineam mulieris, cum qua ille nuptias contrahere cupit, neque mulier carnaliter cognouit consanguineum viri ; tunc si quæ inter eos affinitas, ea per accidens tantum est, matrimonii contractum non impediens.

§ Gradus affinitatis per se ac propriè dictæ, desumi debet ex arbore consanguinitatis proprii coniugis. Nam affinitas illa oritur ex carnali copula viri cum muliere ; ita ut quot gradibus consanguinitatis personæ iunctæ sunt viro, totidem etiam gradibus iungantur viro. Quare si vir personas sibi affinitate per se iunctas cognoscere velit, mulieris cum qua copulatus est, arborem consanguinitatis inspicere debet ; nam nullam ex consanguineis eius intra quartum gradum (si copula coniugalis fuit) aut intra secundum gradum (si copula fornicaria

caria fuit) in matrimonium ducere potest. Simili ratione mulier, si personas affinitate sibi per se iunctas deprehendere velit, arborem consanguinitatis viri. quo cum copulata est, inspicere debet. Nam nullum ex consanguineis eius intra quartum gradum iuxta dictam distinctionem in matrimonium accipere potest, absque legitima dispensatione.

Pro faciliori captu huius assertionis nota hanc praxin. Si vir & mulier inter se matrimonium iungi volentes timeant, ne impedimento suo affinitatis, seu consanguinitatis teneantur; In primis inquiratur, vtrum inter eos sanguinis coniunctio intercedat, *Dbs ein Blutsfreundschaft seye*; Si affirmant, tunc inspicienda erit arbor consanguinitatis, & considerandum, vtrum à communi stipite æqualiter distent, an inæqualiter. Si æqualiter, siue vnam, siue alteram personam compara cum stipite suo; & inspicere, quotnam gradibus ab eo distet, totidem enim distabit à persona illa, quam in matrimonium accipere velit. Sin verò inæqualiter distent à stipite, tunc comparetur persona, quæ remotior est cum stipite, & quot gradibus ab eo distat, totidem gradibus personæ contrahere volentes distabunt: qui gradus, si sint quatuor, aut pauciores, adest impedimentum, vt sine dispensatione Sum. Pontif. coniungi non possint: sin verò pluribus, quam quatuor gradibus distent nullum est impedimentum consanguinitatis.

Quod si verò dictæ personæ vir & mulier respondeant, non esse inter ipsos sanguinis coniunctionem, sed tantum affinitatem, *ein Schwager-*
schaffe

M m m m

schaffe

schafft (loquor autem de affinitate, contracta ex copula coniugali non fornicaria) hoc casu quaeratur, vtrum dictae personae antea matrimonio iunctae fuerint: si enim neutra harum personarum coniugata fuerat, sed primas nuptias contrahere velint, certum esse debet, nullum inter eas affinitatis impedimentum est. Sin verò respondeant, alteram vel vtramque personam antea matrimonio iunctam fuisse, tunc inspiciatur matrimonium istud, ex quo affinitas inter Iacobum & Annam, qui modo coniungi desiderant, orta sit: quia V. C. Iacobus dicit, se habuisse vxorem Vrsulam cui Anna coniuncta fuerit *Sie sey ihr befreundin gewesen.* Tunc demum consideretur, vtrum inter Annam & Vrsulam fuerit coniunctio sanguinis intra quatuor gradus: nam in eadē distantia graduum erit impedimentum affinitatis inter Iacobum & Annam; vt proinde sine summi Pontificis auctoritate coniungi non possint. Sin verò inter Annam & Vrsulam nulla fuit sanguinis coniunctio tunc dicta affinitas nihil omnino impedit, quo minus Iacob Annam in vxorem ducere possit.

Quod si demum affinitas inter Iacobum & Annam ex copula illegitima orta sit, quia verbi causa Iacobus cognouit Vrsulam consanguineam Annæ; tunc videatur, in quoto gradu Anna sit consanguinea Vrsulae: si in primo vel secundo gradu, quia videlicet est filia, soror, aut consobrina, adest impedimentum affinitatis inter Iacobum & Annam. Sin verò Anna consanguinea sit Vrsulae in tertio vel vltiore gradu, non est impedimen-
tuna

tum affinitatis, impediens matrimonium inter Iacobum & Annam.

C A P. VI.

Quotisque Sum. Pontifex dispensare possit in impedimentis consanguinitatis & affinitatis.

Naturali iure irritum est matrimonium, & consequenter indispensabile in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ. Nam omnes gentes liberaliter educatæ, à tali coniugio tanquam inhonesto ac turpi abhorrent, propterea quod proles naturali iure magnam reuerentiam ac submissionem debet parenti suo: per carnalem autem copulam æquaretur parenti, quasi vna caro cum ipso effecta, non sine debitæ reuerentiæ ac submissionis filialis iactura, vnde & inualidum est hoc matrimonium, eò quod cum tale matrimonium turpe sit, colligitur Deum id prohibuisse. Et nemò potest se obligare ad actionem re ipsa illicitam & peccato obnoxiam: matrimonium autem est contractus, quo ius & potestas traditur copulæ carnalis: ergò si hæc in se turpis ac peccato obnoxia sit, matrimonium validum esse non potest. Quod autem matrimonium illicitè contractum ab obligato simplici voto castitatis tamen validum sit, causa est, quia copula inter tales personas per se turpis non est, sed tantum per accidens ratione voti. Id autem non obstat, quo minus se inuicem ex virtute iustitiæ obligare possint per realem matrimonij traditionem; quemadmodum hoc ipsum

M m m m 2 in aliis

in aliis contractibus euenit ; vt si promiserim alicui equum me donaturum, postea verò alteri non simpliciter promittam, sed re ipsa tradam, posteriori, ius ac dominium acquiratur, quia fortius ius habet per traditionem completum.

At verò copula inter primi gradus consanguineos semper turpitudinem in se habet, vnico casu excepto : vt proinde talis copulae promissio valida seu obligatoria esse non possit. In extrema tamen necessitate, si talis copulatio ad conseruandum genus humanum necessaria esset, cohonestaretur, qua (ratione excusat, qua ratione S. Ambrosius, filias Loth à crimine incestus, ratas nullum alium virum præter patrem ex incendio superesse. Gen. 19. Cum n ius reuerentiæ debitum parenti priuatum sit, meritò cedit publicæ necessitatis bono, ideoque Deus, in tali necessitate, sublatis scilicet omnibus aliis hominibus, ipso homine naturali dictante, facultatē coniugalis in eundi fœderis inter patrem & filiam concedere censeretur.

2 Probalius etiam est matrimonium in secundo gradu, vel vltiore gradu lineæ rectæ, iure naturali irritum esse ; puta, aui cum nepte sua, proau cum pronepte. Ratio est, quia nepotes non minus per se dependent ab auo, tanquam principio generationis suæ, quam à proprio parente : cum causa causæ sit etiam causa causati : consequenter nepotes auis suis non minorem reuerentiam (cui usum coniugalem aduersari diximus) naturali iure debent, quam proximis parentibus, quamobrè omnes benè institutæ gentes eiusmodi matrimonium tanquam scelestum abominantur.

Proba-

Probabilius quoque est, naturali iure irritum esse matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ transversæ: videlicet, inter fratres & sorores: quia pleræque etiam gentestale matrimonium detestatæ sunt. Vnde Abraham *Gen. 12.* satis putavit suspicionem conjugij à se remotum iri apud Ægyptios, si diceretur, Sara eius soror esse. Nam inter fratres & sorores ob sanguinis conjunctionem est quidam naturalis pudor ac reuerentia, cui valde aduersatur actus conjugalis, turpitudinem alterius reuelans. Accedit, eos ab incunabulis simul habitantes, valde ad concubitum inflammandos fore, nisi conjugia sibi à naturæ auctore interdicta esse persuasum haberent: Dempto tamen casu necessitatis, si alij, præter fratres & sorores ad humani generis propagationem non superessent, vt in exordio mundi: Probabilis tamen est sententia eorum qui asserunt; Licet secundum ius naturæ indecens sit eiusmodi matrimonium, tamen non ita, vt eodem etiam iure irritum existat. Cum non à primordio humani generis talia connubia fierent, facile accidere potuit, vt eiusmodi consuetudo apud quasdam gentes, etiam propagata posteritate permaneret: Et credibile est, Deum talia matrimonia tanquam valida permisisse; nisi positiuo aliquo iure, propter naturalem indecentiam, irrita pronunciata essent sicuti de iudæorum Legibus constat *Levit. 18.* Ex qua probabili doctrina, inferunt Veracrux, Sanchez; si ex gentibus, quibus est consuetudo talia matrimonia in primo gradu lineæ transversæ celebrandi (vt de quibusdam in prouincia Peruana

refertur) ad fidem Catholicam conuertantur, non esse à tali conjugio separandos. Consultius tamen est in hac re admodum graui Sum. Pótificem consulere.

4 Matrimonium in secundo gradu consanguinitatis lineæ transuersæ, indecens quidem esse videtur, si passim sine urgente necessitate instituat, (eoque turpe plerunque sit cum cognata matrimonium contrahere propter reuerentiã naturalem ipsi debitam, vt colligitur ex Levit. 18.) sed non ita, vt etiã iuri naturali irritum existat, aut ob rationabilem causam præsertim accedente publica authoritate, cohonestari non possit, quandoquidem ex eiusmodi matrimonio nati sunt Moses & Aaron, *Exod.* 6. Et Abram duxit Saram filiam fratris sui Aram. Præcepta Levitici erant iudicialia, nec contra ius naturæ; vnde etiam impedimenta matrimonij in secundo gradu affinitatis & consanguinitatis sola Ecclesiastica sanctione fundata sunt.

§ Probabilius est matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ esse iure naturæ irritum, puta inter vitricum & pro-vignam, socerum & nurum, focrum & generum, nouercam & pro-vignum (dempto casu necessitatis) prob. quia omnes gentes benè institutæ talia quoque matrimonia abominatæ sunt, & patet ex Apost. 1. Cor. 5. *Audietur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Confirm ex Levit. 20. *Qui supra vxorẽ siliam duxerit matrem eius, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis.* Ratio, quia vir & mulier per coniunctionem carnalem fiunt veluti vna ca-

ro. Vnde sequitur quod parum ferè reuerentiam quam vir, patri suo, etiam vxor viri seu nurus socero exhibere debet, &c.

Ex copula fornicaria secundum ius naturæ aliqua affinitas (vt proinde indecens sit, secluso iure Ecclesiastico, concubinam patris sui ducere) sed non dirimens matrimonij, quare S. Pontifex in omni impedimento affinitatis ex copula fornicaria dispensare potest.

NB. Si ante susceptum Baptismum aliquis duxit filiam, matrem, vel sororem mulieris, quam fornicariè cognouerat; postea baptizatus separari non debet, si tale matrimonium secundum gentis suæ consuetudinem pro irrito censei non solet: quia secundum ius gentium, ac naturale oritur quidem affinitas ex copula illicita, sed non tam perfecta, sicuti ex copula conjugali; neque tanta, vt matrimonio impedimentum præstet, quominus validè & ob iustam causam etiam licitè contrahatur.

Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ 7 transversæ, licet indecens esse videatur gentium & naturali iure, (vt colligitur ex Levit, 18. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitude fratris tui est: id est, quia vna caro cum fratre tuo est: ideoque propter reuerentiam erga fratrem indecense est copulari cum vxore eius) non ita tamen, vt etiam irritum existat: aut ex rationabili causa, præsertim publica accedente auctoritate, cohonestari non possit. Nam Jacob Patriarcha duas sorores duxit, Rachel & Lian, Gen, 29. imo postea Deuter, 15. præceptum fuit Israelitis,

M m m 4 si

si fratrum vnus sine liberis decessisset; vt alter relictam eius vxorem accipiat. Et Ecclesia etiam ob grauem causam dispensauit cum vitis principibus.

8 Summus Pontifex in omnibus gradibus consanguinitatis, vltra primum, & in omnibus omnino gradibus affinitatis transversæ lineæ dispensare potest. V.C. vt quis ducat defunctæ vxoris sororem, materteram vel consobrinam. Si autem affinitas ex copula fornicaria orta fuit, videtur dispensare posse, etiam in primo gradu lineæ rectæ, videlicet, vt quis ob causam vrgentem ducat filiam meretricis suæ.

Difficilior est dispensatio, si distantia graduum inæqualis sit; puta, si vir velit ducere filiam aui, aut proauis sui, vel mulier velit nubere filio aui, vel defuncti mariti sui.

10 Difficilius dispensare solet S. Pontifex, super impedimenti consanguinitatis, quam affinitatis. Ratio; quia maior sit coniunctio inter consanguineos, quam inter affines. Nam affinitas oritur ex eo, quo vir & mulier veluti vna caro per copulam efficiuntur, ideoque omnes consanguinei minus fiunt in eodem gradu affines alterius coniugum. Ex quo apparet, coniunctionem consanguinitatis esse priorem, magis per se, & tanquam mensuram affinitatis.

NB. Episcopus in casu necessitatis dispensare potest in impedimenti matrimonij contracti, si hæ conditiones concurrant. 1. vt defectus matrimonij dispensabilis sit. 2. vt defectus occultus sit, 3. vt matrimonium bona fide, saltem alterius coniugij

jugij contractum sit. 4. vt ad S. Pontificem facilis accessus non sit. At verò vt contrahatur matrimonium, cum impedimento dirimente, non videtur Episcopus dispensare posse, sicut dixi lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 4.

C A P. VII.

De impedimento cognationis Legalis.

Legalit cognatio est propinquitat personarum **I** Lex adoptione proueniens Adoptio verò est extraneæ personæ in filium aut filiam, nepotem aut neptem legitima assumptio. Extranea hic dicitur, quæ non est ex descenditibus; siue alioquin sit adoptantis consanguinea, siue non. Legitima assumptio dicitur, quia legibus ciuilibus constituta & canonicis approbata est vt in legati adoptione, & inde orta cognatione, seruatae sint conditiones, quæ iure ciuili præscribuntur: videlicet, vt adoptans sit masculus, sui iuris maior 25. annis, ad liberos gignendos naturaliter non impotens; vt persona extranea cum adoptatur præsens sit adoptandi & in adoptionem consentiens, denique vt saltem 18. annis minor sit suo adoptante, ideoque illum pro patre, spectata etiam ætatis ratione, habere possit: cum hæc liberorum adoptio ad similitudinem carnalium introducta sit.

Duplex est adoptio. Vna perfecta, in qua Principis rescripto, persona extranea sui iuris existens, in alterius veluti patriam, potestatem, familiamq; transfertur, vt instar legitimorum natorum esse

Mmm 5 inci-

incipiat. Alio nomine dicitur *Arrogatio*, quia in ea rogari solet adoptans, num velit adoptandū filiū legitimū fore; similiter & adoptatus, an id fieri consentiat. Altera est adoptio imperfecta seu simplex, per quam extranea persona in parentis sui potestate existens, ab alio in filium vel filiam adsciscitur, ut tamen naturalis patris vel aui potestate non egrediatur, neque patri adoptiuo ex testamento necessariō succedere debeat (sicuti arrogatus in quarta bonorum parte) sed tantum ius succedendi ab intestato habeat. Et talis imperfecta adoptio, impedimentum matrimonio non præstat. Ratio, quia impedimentum cognationis legalis introductum est ob similitudinem, quam filij adoptiui gerunt cum legitimè natis: eiusmodi autem filiationis similitudinem illi propriè non gerunt, quia ex imperfecta adoptione sunt: quandoquidem in familiam & potestatem patris adoptiui non adsciscuntur.

2 Adoptio legalis autem perfecta est matrimonij impedimendum dirimens, civili iure constitutum & canonico approbatum.

3 Estque triplex modus impedimendi proueniens ex adoptione legali. Primus in linea legali recta inter adoptantem & descendentes adoptati, si in eius potestate existant. Secundus in linea transversa inter adoptatum & legitimos natos ac nepotes adoptantis. Dico *natos legitimos*. Nam illegitimi non censentur esse in potestate patris sui, unde non oritur cum illis cognatio legalis, sicut neque cum emancipatis. Secundò, ut excludam liberos adoptiuos, qui fratres & sorores adoptiui, si ex di-

uer-

uersa familia sint , inter se contrahere nullo iure prohibentur. Tertius modus est per modum affinitatis inter adoptatum & vxorem adoptantis, inter adoptantem & vxorem adoptati. At verò inter adoptantem & filij adoptiui parentes nulla legalis cognatio interuenit.

Est porò discrimen inter dictas species siue modos cognationis legalis , quod prima & tertia etiam dissoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, matrimonium dirimat, non item secunda, sed quamdiu adoptatus in potestate adoptantis manet. Quare facilis est modus efficiendi, vt filius adoptatus cum filia adoptantis carnali contrahere possit, si eorum alteruter secundum formam ciuiliū legum emancipetur.

CAP. VIII.

De Impedimento cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas secundum iuris canonici dispositionem, orta ex administratione, vel susceptione sacramenti baptismi, vel confirmationis. Nam sicut per naturalem generationem homo formatur & nascitur, postea verò roboratur corporaliter: Ita per sacramentum baptismi ac formatur ac renascitur, & per sacramentum confirmationis roboratur spiritualiter: quamobrem etiam in spirituali regeneratione intelliguntur esse parentes spirituales, videlicet, qui sacramentum ministravit, & parrinus, quibus
cum

cum secundum Ecclesiasticam traditionem magna reuerentia debeat ita antiquitus in Ecclesia obseruatum fuit, vt hæc spiritualis cognatio, perinde ac carnalis impedimentum esset matrimonij dirimens.

1 Cognationis spiritualis matrimonium dirimentis olim tres species erant Paternitas inter baptizantem, confirmantem, & patrilinos ex vna parte & baptizatum, vel baptizatam ex altera parte; Compaternitas inter baptizantem confirmantem patrilinos ex vna & parentes baptizati vel confirmati ex altera parte, & transfundebatur vtraque cognatio à viro ad vxorem, ita vt si coniugatus aliquam personam baptizaret, vel patrilinus esset, vxor eius similem cognationem cum eisdem personis, baptizato, vel confirmato scilicet, & parentibus contraheret. Denique fraternitas inter filios carnales baptizantis confirmantis, patrilinorum ex vna, & ipsum baptizatum vel confirmatum ex altera parte. Sed iure nouo Trident: sublata fraternitate, reliquæ duæ in vigore manent, sed ad vxorẽ non transfunduntur. Vnde Titius hodie non prohibetur sui baptizantis vel confirmantis, aut patrilini filiam, vel relictam vxorem ducere: sicut & pater Titij eandem relictam viduam iure nouo ducere potest.

2 Infidelis baptizans, etsi postea ad fidem conuertatur, & baptismum suscipiat, non contrahit cognationem spiritualem; ~~Etiam~~ quia infidelis, imò etiam Catechumenus Ecclesiasticis sanctionibus non obligatur: Tum quia fundamentum cognationis baptismus præteritus non amplius

ex-

existit. Quare licet post conuersionem & baptismum iam sit capacitas in subiecto, tamen non confurgit cognatio, quemadmodum neque relationes ad quorum similitudinem hæc spiritualis cognatio explicari debet, confurgere possunt, nisi existente eo, in quo fundantur.

Si homo fidelis filiū infidelis à sacro fonte suscipiat, & infidelis postea conuertatur ac baptizetur, oritur spiritualis compaternitas inter patrinū & parentē prolis baptizatae: Ratio, quia secundum iuris dispositionem spiritualis cognatio immediatè quidem contrahitur tantum inter baptizatum & baptizantem, mediatè verò ac consequenter redundat (spectato iure antiquo) in carnales filios baptizantis, & iure etiam nouo in carnales parentes baptizati, cum primum illi huius cognationis capaces sunt, quæ ipsa causa est, quod longè difficilior, imò verò nunquam pontificia dispensatio fieri soleat in spirituali cognatione paternitatis.

Legatus, qui nomine alterius tenet infantem, verè patrinus non est, nec spiritualem cognationem contrahit, cum non suo sed alieno nomine teneat. Vnde non improbabiler loquitur Sa. Virum loco mulieris, & mulierem loco viri tenere posse, sed consuetudo locorum in hac re attendenda est.

Qui autē legatum seu procuratorem mittit ad suscipiendum infantem vel confirmandum videtur cognationem spiritualem contrahere quia is, cuius nomine alter è sacro fonte suscipit, verè patrinus est. Contraria tamen sententia Henrquetz &c: pro-

&c probabilis etiam est saltem propter auctoritatem DD. praesertim cum casu qualitercunque dubio, & in canonibus non satis expresso, circa matrimonij impedimenta non irrationabiliter in partem negatiuam inclinare liceat.

6. Si sponsus de futuro prolem ex sponsa susceptam baptizet propter necessitatem soluantur sponsalia, ratione superuenientis cognationis spiritalis, & si baptizans nesciat suae sponsae prolem esse, quia nihilominus verè baptizans est, utpote habens intentionem Ecclesiae conformem baptizandi hunc hominem, quicumque sit. Alia ratio est de patrino, licet enim sponsus sciens lauans è sacro fonte prolem sponsae suae, cum ea matrimonium ante dispensationem contrahere non possit, secus tamen est, si nesciat esse prolem sponsae suae, sed arbitretur, esse alium infantem. Ad hanc enim cognationem requiritur scientia & animus suscipiendi & spondendi pro eo homine, quem animo suo concipit. Vnde error circa personam efficit, ut verè patrinus non fiat.

7. Si maritus cogente necessitate proptiam prolem baptizet, vel ut patrinus suscipiat, nullum impedimentum contrahit, quia C. ad limina. 30. Q. 1. *Inculpabile iudicandum, ad quod necessitas impulit.* Nam impedimentum petendi debiti à sacris canonibus constitutum est in poenam delicti, parens autem nihil delinquit, si in necessitate patrinus filij sui existat. Quod autem sponsus de futuro propter necessitatem baptizans prolem sponsae suae proprium impedimentum contrahat, non id statutum est in poenam, sed solum censetur moralis inhabilitas

litas ad matrimonium, qualis inhabilitas etiam sine culpa contrahi potest.

Si parens sine necessitate prolem propriam baptizet, vel in bapismo, vel confirmatione teneat, grauiter & mortaliter peccat, quia seuerè id prohibetur; Sed non est certum, quod à petitione debiti propterea impeditus sit. Certum tamen est, si coniunx ex ignorantia iuris aut facti prolem coniugis baptizet; aut teneat, nullo petendi debiti impedimento affici; Cum enim prohibitio illa in solo Ecclesiastico iure fundata sit, ideò, quia eam ignorat, sicuti excusatur à culpa, ita & ab annexa pœna; Idem sentiendum de pœna priuationis debiti ob crimen incestus, qui fornicans cum coniuge alterius nescit prohibitum esse sub pœna priuationis debiti petendi.

Si sacerdos cum filia confessionis fornicetur, etsi nullam cognationem contrahat spiritualement, tamen videtur circumstantia in confessione manifestanda, sed contrarium asserunt Sa & Zedecusa.

C A P. IX.

De impedimento publicæ honestatis.

Impedimentum hoc prouenit ex quadam quasi affinitate cum consanguineis sponsi, canonico iure introductum ob publicam honestatem morum, vnde hodie intra primum duntaxat gradum (olim intra quartum) ac consanguineis sponsæ quamuis carnaliter non cognitæ nuptiæ celebrari validè non possunt ob publicam honestatem.

Si

- 2 Si sponsalia de futura ex quacunque causa irrita sint, V.C. quia cum consanguinea, moniali, ac contracta, nullum ex ijs impedimentum publicæ honestatis oritur.
- 3 Impedimentum honestatis, ex sponsalibus validis ortum, permanet, etiamsi illa postea solvantur quomodocunque. Quod si quis cum duabus consanguineis inter se, V.C. sororibus se successivè desponsauerit, prior ducenda est, non obstante posteriore desponsatione, quia posterior desponsatio irrita fuit à sponsalibus: Ergò non est equum fieri actionem veluti quòdam scilicet priora sponsalia vicissim irritari.
- 4 Ex sponsalibus conditionis, pendente conditione non oritur impedimentum V.C. si Sempronius cum Titia sponsalia contraxit sub conditione pendente in futurum, ac postea Caiæ ante euentum conditionis, quem expectare debuerat, absolute promisit, nec ex primis, nec ex secundis sponsalibus impedimentum honestatis contrahitur. Quod si verò ponamus Sempronium Caiæ promittere matrimonium sub conditione expressa, vel tacita, si conditio priorum sponsaliorum non eueniat, tunc ea non eueniente purificantur posteriora sponsalia cum Caiæ, vt deinde valide quidem Sempronius possit ducere Titiam propter impedimentum honestatis.
- 5 Ex matrimonio rato & nondum confirmato etiam hodie oritur impedimentum publicæ honestatis vsque ad quartum gradum, etiamsi illud irritum fuerit ex quacunque causa, duabus exceptis, primò si irritum fuit ob defectum consensus.
- Secun-

Secundò si irritum fuit ob impedimentum publicæ honestatis.

Si quis ex duabus sororibus vnam absolutè sibi desponsauit in futurum, cum altera carnaliter deinde copuletur, neutram in vxorem ducere potest; non primam ob impedimentum affinitatis, neque secundam ob impedimentum publicæ honestatis.

C A P. X.

De impedimento Criminis.

MAchinatio mortis coniugi facta cum proposito alterius determinati matrimonij contrahendi, est impedimentum dirimens, nec refert, vtrum maritus, an vxor sit, cui mors machinatur, neque vtrum machinatio mortis physicè, an solum fiat moraliter per iussionem, consilium, necesse tamen est, ut mors executioni mandata sit, quia verba legis pœnalis cum effectu intelligenda sunt, ob solam ratificationem mortis non incurritur impedimentum criminis, quia id nullo iure expressum, unde edictum de matrimonio non contrahendo cum prohibitorium sit, ad eum casum extendi non debet.

Si vterque, qui post mortem coniugis matrimonium contrahere desiderant, ad eadem illius cooperatur, aliud nõ requiritur ad contrahendũ impedimentum, nisi vt mors sequatur; Sin verò alteruter homicidii tantum reus sit, requiritur etiam, vt adulterium interueniat, & vt vterque coniugi

Nnn

iugi

iugi fuerit inuitiosus. Si enim puella, cum qua adulterium commisit, ignorauit omne coniugatum, nullum impedimentum contrahitur, tametsi puella coniugata sit, quia iura, quibus hoc impedimentum statuitur, faciunt mentionem adulterii. Quod si adulteri alio fine, quam ut inter se matrimonium contrahant, coniugem alterum tradant V. C. ne eos in adulterio deprehensos accusare possit, non sunt impediti, quominus postea nuptias inter se celebrent.

3 Si adulteri uiuente altero coniuge matrimonium contrahant, vel de contrahendo inter se spondeant, oritur inter ipsos impedimentum derimēs. Ratio, ne ob factam promissionem, & spem alterius matrimonii contrahendi capretur occasio alterius coniugis occidendi.

4 Requiritur tamen ad hoc impedimentum ex crimine adulterii cum promissione matrimonii plures conditiones. Primò, ut uidente eodem coniuge fides data, & adulterium commissum sit: Secundò ut ex utriusque parte adulterium formaliter committatur, id est, puella sciat esse coniugatum, & cum immisione seminis intra uas naturale, ut promissio matrimonii non fictè, sed seriò fiat, ut promissio seria ab altero accepta sit, cum alioquin non habeat rationem pacti, & requiratur promissio mutua. Denique ut promissio sit pura, autem mortem coniugis purificata; cum alioquin non sit simpliciter facta promissio; quippe adhuc suspensa: unde adulteri, si non absolute promittant inter se, sed solum sub tali forma: non ducam aliam, nisi te, contrahunt impedimentum.

mentum, nam sensus est: si aliquam duxero, promitto me ducturum te, de qua re dixi supra p. 1. cap. 1.

Quo ad hoc impedimentum utriusque coniugis similis ratio est, quia disposito de vno correlativo, censetur etiam dispositum de altero si æqualis cõparationis sint & disparitatis nulla ratio appareat.

Si infidelis ope mulieris Christianæ maritum eius occiderit, ac ad fidem conuertatur, non potest mulierem illam in vxorem ducere. Nam mulier ob Ecclesiasticam constitutionem, impedita est eum tali viro contrahere. Ergo per accidens & consequenter ipse etiam vir cum muliere contrahere prohibetur.

Irrita sunt sponsalia, quæ, viuentem adhuc coniuge cum alia persona contrahuntur: Repugnant enim bonis moribus, quippe quibus occasio capi potest coniugis vitæ insidiandi, quæ simili ratione prohibitum est, ne beneficium Ecclesiasticum alicui permitti possit, antequam yacet.

CAP. XI

De impedimento impotentia.

Impotentia perpetua (non sterilitas) ad copulam perfectam naturali iure matrimonium subsequens dirimit: Ratio, quia contractus matrimonii essentialiter includit obligationem dandi inter se corpus ad copulam carnalem, *impossibilium autem nulla est obligatio*. Dixi perpetua impotentiam.

tia videlicet, quæ neque arte medica, neque con-
fuetis exorcismis Ecclesiæ tolli potest, etsi possit
tollī cum periculo vitæ, impossibilis censetur cu-
ratio, similiter si per incantationem, quia quod
iure non possumus, id absolute non posse cense-
mur. Imò etsi per miraculum tolli possit, nihilo-
minus moraliter rem æstimando, impossibilis est
curatio: Sanatio per exorcismos etsi supernatura-
lis sit, non censetur tamen miraculosa.

NB. Etsi mulier per periculosam incisionem
possit curari, irritum tamen est matrimonium.

2 Si mulier, quæ cum perpetua impotentia con-
traxit, postea per miraculum sanetur, nihilominus
irritum matrimonium censei debet, neque con-
ualefcit, nisi vir novo edito consensu accipere illam
decernat.

3 Eunuchi & Spadones, qui utroque teste carent
ad matrimonium contrahendum inhabiles sunt,
quia vero semine destituti sunt. Verum si quis
post matrimonium contractum eunuchus fa-
ctus sit, copulam imperfectam, ac missionem non
veri seminis exercere non prohibetur, quia licet
tales matrimonium contrahere nequeant, con-
tracto tamen uti eis licet, quatenus id fieri po-
test.

Dixi autem in assertione per matrimonium
subsequens; Nam quod semel ratum fuit, licet
nunquam consummatum matrimonium, nulla
superueniente impotentia dirimitur.

In dubio, utrum impotentia antecesserit ma-
trimonium, præsumendum est, quod antecesserit,
si copula nunquam haberi potuit, & nullis in-
diciis

dicis ostendi queat ; quo tempore contracta sit
impotentia.

Si impotentia post nuptias superuenit , matri- 4
monium non dirimit , quare oscula , tactus ad o-
stendendum affectum conjugalem conceduntur,
modo absit periculum pollutionis, quin etiam ad
copulam conari ipsis licet, quamdiu spes proba-
bilis superest ipsam aliquando perficiendi, licet
præter intentionem pollutio contingat ; Sin verò
desperatum sit , abstinere tenentur ob pollutio-
nem euitandam.

In dubio vtrum impotentia perpetua sit ad ex- 5
periendum triennij spacium canonico iure con-
ceditur, Elapso triennio, & nulla secuta emenda-
tione, autoritate Ecclesiæ ad vitandum scanda-
lum separandi sunt & potens ad alias nuptias
transire potest, vel vterque, si vtrumque erga alias
personas potentem esse ostendi vel præsumi
possit.

Quod si verò in tali separatione, & noui matri-
monij permissione , error commissus postea de-
prehendatur, quia coniuges ad inuicem potentes
erant, ideoque matrimonium validum exitebat,
tum posterius putatitium dissolui debet, & prius
redintegrari. Præterquam quod coniunx inno-
cens fornicarii coniugis, qui cum absolutè inno-
cens iudicatus esset, alteri se non sine scelere co-
pulauit, cohabitationem & congressum iure re-
spuere possit.

Constitutus in mortis periculo matrimonium 6
contrahere potest, si potentia generandi vi morbi
secundum se destructa non sit. Ratio, quia vt po-

Nnnn 3 nimus

nimus infirmus morti propinquus habet potestatem actus coniugalis exercendi, licet per accidens impeditam, quominus ob morbi vehementiam in actum deduci possit. Et morti vicinus potest iure matrimonium spirituale per professionem religionis, Ergò & carnale. Deinde praxis Ecclesiae id ostendit secundum quam morituros interdum adducimus, ut concubinas, quibus diu adhaeserunt, in uxores accipiant.

NB. Propositum, actus coniugalis exercendi ad matrimonium non requiritur, ut patet in matrimonio beatissimae virginis Mariae.

7 Si potentia generandi vi morbi, aut senio simpliciter destructa sit, censetur impotentia perpetua matrimonium dirimens.

C A P. XII.

De impedimento aetatis.

Masculus ante annum expletum decimum quartum: puella ante duodecimum canonico iure inhabiles sunt ad matrimonium, nisi ob urgentissimam causam dispensatio fiat: Ratio, quod Ecclesia pro incoueniente habeat, ut matrimonium contrahatur ab ijs, qui nondum pubertatem & potentiam generandi assecuti sunt, pubertas autem ea plerumque aetate quam diximus utriusque sexui contingit; Ergò ea aetate, & non ante concedere matrimonium possunt, seclusa tamen lege Ecclesiastica spectato iure naturae impubes, si rationis usum assecuti sunt, matrimonium validè

validè contrahunt, cum impotentia rerum non sit perpetua. Et pontifex in his impedimentis dispensare potest, quamvis non facilè soleat. Quod si verò certis indicijs constet, puerum aut puellam ante dictam ætatem carnalis copulæ potentiam affectos fuisse à matrimonio repellèd non sunt, cum in eis malitia ætatem suppleat. Sicut S. Gregorius narrat, quod puer nouem annorum nutricem suam imprægnauit.

Si post legitimam ætatem masculus vel fæmina nondum pubertatem consecuti sunt, validè quidem matrimonium contrahere censentur, sed expectandum est tempus perfectæ ætatis in puero annus decimus octauus, in puellis annus decimus quarrus, ut experiri liceat, num verè potentes sint.

Si masculus, vel fæmina ante ætatem pubertatis legitimam in carnis delicto deprehendantur præsumptio esse solet, quod delictum non perfecterint, si tamen certis indicijs constet quod malitia & coeundi potentia, ætatem suppleat, puniri poterit, tamen melius, quam si pœna ordinaria.

C A P. XIII.

De impedimento raptus.

Raptus puellæ committitur, si ea de loco in locum cum causa libidinis exercendæ, vel matrimonij contrahendi, per vim iniustam abducatur, quod crimen morte punitur, si fuerit honesta mulier:

Duplex est species raptus, vel vis iniusta infer-

Nann 4 tur

tur puellæ, vel parentibus aut tutoribus in quorum potestate puella est, licet consentiant in raptum & hic non est propriè raptus, quia raptus violentiam continet.

3 Si puella volens ex domo patris, vel tutoris nescientis, aut si antecedente tractatu matrimonij vel sponsaliorum abducatur puella, non est propriè raptus, neque impedimentum matrimonij.

4 Inter raptorem & raptam, quamdiu in potestate raptoris est, matrimonium aut sponsalia valide non contrahuntur, quod si rapta à raptore separata etiam in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, tunc eam raptor in uxorem ducere potest, sed raptor & omnes consilium præbentes, ipso iure excommunicati sunt.

5 Probabile est impedimentum raptoris locum duntaxat habere, si vis iniusta puellæ inferatur ad matrimonium cum ea contrahendum.

C A P. XIV.

De impedimento ex Cultus seu Religionis disparitate.

1 **M**atrimonium hominis baptizati cum non baptizato etiam catechumeno Ecclesiastico iure irritum est. Ita colligitur ex C. 241.

2 Matrimonium hominis catholici cum hæretico utpote baptizato validum quidem est propter veram rationem sacramenti, sed plerumque mortaliter illicitum, ut patet ex Concilii Chalcedonensis can. 14. sed limita primò nisi hæreticus promittat, se post nuptias fidem catholicam suscepturum, & cau-

causa subsit, cur nuptiæ abtolutioni ab hæresi an-
teponantur. Consuetudo etiam in Germania ob-
tinuit, maximè in ijs partibus, quibus catholici
mixti cum hæreticis communi iure viuunt, vt cõ-
nubia inter se inire possint si coniunx catholicus
sine periculo peruersionis liberè persistere audeat
in fide orthodoxa, quæ limitatio admitti potest si
in alio casu morali euidentia constet, nullum esse
periculum scandali, peruersionis, aliorumque in-
commodorum, quæ cum tali matrimonio ple-
rumque iuncta sunt. In dubio verò, vtrum eius-
modi mala sequi possint, ad summum pötificem,
vel etiam Episcopum in Germania pertinebit rem
examinare, & contrahendi matrimonii licentiam
dare.

Impium, & irritum est pactum additum matri-
monio Catholici cum hæretica, vt liberorum alii
matrem hæreticam sequantur. Quandoquidem
ad vtrumque pertinet cura, liberos suos omnes
in fide, ac religione verâ educandi.

Si impedimentũ dirimens matrimoniũ notoriũ 4
est, vel in notitiam Ecclesiæ venturũ, eo sublato, o-
portet parochum, & testes iterum adhibere ad
validum matrimonium, idem quoque dicendum,
tametsi solus Parochus, vel testes requisiti impe-
dimentum extra confessionem cognitum habue-
rint: quia non poterant talibus auctoritatem vel
testimonium matrimonio præbere, quod scie-
bant esse nullum. Quod si verò impedimen-
tum omnino occultum sit, necesse non est paro-
chum & testes iterum adhibere, sed ipsi coniuges
prioris impedimenti conscii inter se per consen-

sum, verbis vel facto declaratum matrimonium validum efficere possunt: Cum enim ratio, quæ mouit Concil. Trident. ad cassanda matrimonia clandestina, vt impedirentur graui peccata, & in commoda ex iis oriri solita, in dicto casu penitus cessent; Quin potius è contrario incommoda & scandala non exigua sequerentur, si matrimonia, quæ publicè pro validis habebantur, iterum coram parochio, & testibus celebrare oporteret: merito colligimus Trid: Decreto, quatenus tum prohibitorium, tum cassatorium est matrimonii clandestini casum illum, quo matrimonium occultum reuelari debet, nequaquam comprehendendi.

§ Matrimonium irritum reddi validum potest, quocumque coniugum consensu verbis aut factis declarato, modo eius impedimentum cognitum habeant.

C A P. XV.

De impedimentis non dirimentibus.

Impedimenta, quibus matrimonium illicitum, non tamen irritum redditur, sunt primò interdictum Ecclesie siue inhibitio ordinarij ob iustam causam V.C. pendente lite de valore matrimonij; Secundò tempus feriarum videlicet ab aduentu Domini vsque in die Epiphaniæ & à feria quarta Cinerum vsque in octauum Paschatis inclusiuè, vt videre est in Trident: Concil: sess: 24. cap: 10. de reformatione matrimonii. Vbi notandum est: Non prohiberi ipsum matrimonii contractum præmissis etiam denunciationibus in dictis temporibus celebrari, si nuptialis benedictio & solemniss

tra=

graductio sponsæ cum signis lætitiæ &c. intermit-
tatur. Attendenda tamen est Ecclesiarum consue-
tudo, quæ apud nos est, vt parochus his tempori-
bus matrimonio, intermissa vel in aliud tempus
dilata benedictione non assistat, nisi necessitas vi-
geat, vt similes in periculo mortis constitutus vel
statim discessurus concubinam ducere velit eique
ad spiritualem salutem matrimonium impeditè
videatur. Quamuis etiam hoc casu mos est, vt si
fieri possit ab ordinario licentia petatur. Tertium
locum tenet cognatio spiritualis contracta ex ca-
techismo baptizandi, ab eo scilicet, qui pro perso-
na baptizanda sacerdoti respondet: Contrahit e-
nim impedimentum, quo minus cum tali persona
matrimonium licitè contrahere possit, quamuis
ita contractum valeat, si verus patrinus, sed San-
chez probabiliter docet hoc impedimentum om-
nino sublatum esse per Trid: sess: 24 c. 2. de re-
formatione matrimonij. Quartum locum tenent
crimina quædam, ob quæ quasi pœnitentiæ loco
abstinentia à coniugio antiquis canonibus decre-
ta erat primò vxoricidium. Secundò presbyte-
rium. Tertiò matrimonium cum moniali scientes
initum; Quartò si quis propriam prolem de sacro
fonte suscepit in fraudem cõiugalis vsus. Quin-
tò qui ob peccatum publicam pœnitentiam per-
agere debuit. Sextò raptus sponsæ alienæ. Septi-
mò, incestus cum consanguineis coniugis aut
sponsæ adhuc viuentis. Veruntamen solus Cor-
duba, Navarra, Coninck testantur hæc impedi-
menta criminum per diuturnam consuetudinem
omnino sublata esse. Quintum locum tenent
sponsalia: ea enim legitime contracta nisi insta de
cau-

causa dissoluantur, impedimento sunt quominus licitè matrimonium cum alia contrahatur. Vltimum locum tenet votum simplex castitatis vel religionis amplectendæ, aut matrimonii in eundi: Nam cum tali voto illicitè, quamuis validè matrimonium contrahitur, sicut constat ex dictis hoc tract. ead. p. 4. c. 3. n. 6.

Deniquè memoriæ iuuandę causa pro impedimentis matrimonii dirimentibus hi versus retinendi sunt.

Error, Religio, triplex cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Raptus, Clandestina fides, expers coeundi,
Ætas, affinis, solunt connubia cuncta.

Pro impedimentis verò non dirimentibus iste versus.

Interdico dies, Crimen, sponsalia, votum.

Atquè hic finis est totius Compendii ad gloriã Dei optinendam, quo volente & adiuuante cępi ac finiui. Ipsi sit sempiterna laus & gratiarum Actio. Amen.

F I N I S.

Informationem pro Parochis, quomodo se gerere debeant cum sponsalia contrahentibus vide lib. 5. tract. 10. parte 2. c. 4. de matrimonio clandestino, numero

10. 3.